Examinis, & Examinantis

EXAMEN,

SIVE,

REFORMATIONIS & REFORMATORUM DEFENSIO

Adversus Calumnias

FRANCISCI FORIS OTROKOCSI,

In *Libro*, quem inscribit

EXAMEN *Reformationis* Lutheri, *& Sociorum ejus*, Ab Ann. D. 1517. factæ;

Justum, modestum, pacificum, animæque in salutem necessarium:

QUO

Asserit, *Lutherum, ejusque Socios* non fuisse veros *Reformatores*, à Deo specialiter missos; ac proinde, nec eorum *Reformationem* esse Dei verbo, & Fidei veteris Ecclesiæ Orthodoxæ conformem:

Quódve hac ratione

Viam PACIS, & UNIONIS cum Ecclesiâ Romanâ salutarem aperuit.

Authore B. WOODROFFE S. T. P.
Canonic. Ædis Christi & Aul. Gloucest. Princip. OXON.

יען וביען התעו את עמי לאמר שלום ואין שלום:

Quoniam, immò quoniam seduxerunt populum meum, dicendo, Pax, & non est Pax. Ezek. c. 13. v. 10.

Ἐξέλθετε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου, ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς, καὶ ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς ἵνα μὴ λάβητε.

Exi de illâ, populе mi, ne participes sitis peccatorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis, Apocalyps. c. 18. v. 4.

OXONIÆ,

E THEATRO SHELDONIANO, An. Dom. MDCC.

מה השלום עד זנוני איזבל אמך וכשפיה הרבים:

Quæ Pax, dum fornicationes Jezebel matris tuæ, & veneficia ejus multa 2 Regum 2. c. 9. v. 22.

SOMNIUM *Frid. Electoris.*

'PRIDIE, antequam propositiones 95. affixerat *Lutherus* publicè *Wittembergæ*, contra Indulgentias, quas *J. Tezelius* circumferebat, *Frid. Elector Suidniciæ* ter successivè somniavit, *Monachum* comitatum 'Sanctis ad se venisse de Cœlo, & ut quædam Ostio Academico inscribere 'liceret, petiisse; scripsisse autem literis tam insignibus, ut Scriptura etiam 'Suidniciæ legi posset: Finem Calami Romam se extendisse, utramque 'aurem *Leonis* X. ibidem jacentis penetrasse, inde ad Coronam tricipitem 'Pontificis se exporrexisse, eamque adeò commovisse, ut casura esset; 'ad hæc audivisse, *Monachum* pennam istam accepisse ex alâ *anseris Bohemici*. Ant. Musa ex relat. Palat. Elect. Confess.

'Prædixerat *Lutheri* adventum paulò ante mortem *Hussus*; (sc. Ann. '1416.) Nunc quidem, inquiens, torretis *Anserem*, at veniet *Cycnus*, quem 'non poteritis torrere: post centum annos *Deo*, & *mihi* respondebitis. '*Fl. Illyr. Test. Veritat. p.* 1833.

SERENISSIMIS PROTESTANTIUM REGIBUS ET ELECTORIBUS, CELSISSIMISQUE aliis PRINCIPIBUS, Necnon INCLYTIS ac PRÆPOTENTIBUS STATIBUS ET ORDINIBUS, *Aliisque* eorundem *Magistratibus*, ET RERUMP. ET CIVITATUM MODERATORIBUS AMPLISSIMIS *PACEM* ac *SALUTEM* omnimodam.

RELIGIONIS *illius*, quæ sub *vestris*, *Majorumque vestrorum præsidiis*, per [a] *duo* jam fere *secula* tam feliciter huc usque crevit, defensionem mihi susceпturo, nihil sanè poterat auspicatiùs contigisse, quàm ut *in hâc causâ Dei*, tot *Potentissimos*, *piissimosque* illius *Vicarios & Administros* simul affari liceret: Quò magis faveo *Antagonistæ meo*, qui, dum *titulis vestris*, *Augustissimisque Nominibus* libro suo satis audacter præfixis, singularem quendam honorem conciliare sibi speravit, quasi Legem mihi *ipse* dixit, ut eundem justiùs transferrem meo; nihil veritus, quin, qui *re*, & *argumento*, *Patrocinio* quoque *Vester* sit *futurus*.

Inscripsit quidem *Ille* Librum suum [a] '*Examen Reformationis Lutheri, & sociorum ejus*, idque *Justum*, *Modestum*, *Pacificum*, *animæque in salutem necessarium appellavit*', sed quàm malè respondent *Epithetis* istis, quæ pòst *scriptitat*, non est *Obsequii mei sacris vestris auribus* ingerere; utinam, quæ tam *illis* omnibus *contraria* effutit *ipse*, *siluisset* prorsus, aut saltem alibi, quàm apud *Serenissimos Vos* tam absurdis, importunis, petulantibusque *suis Næniis refugium quæsivisset*.

a *Ab anno* 1517.

Dolet

Dolet profectò, quum, *Quis olim fuerat, Quantoque in honore non apud ſuos modò, ſed probos etiam pleroſque,* Atque *unde cecidit, Quid & quo fine* ſcripſerit, tantis verborum ambagibus, & circumitione docere nos, *Dedicationis, Inſtantiæ* ad *Reges & Principes, alioſque Proteſtantium ſpirituales Directores, Librique ipſius* primarum 52 paginarum, & fere ubique paſſim *totius Operis, ipſe* ſategerit; non poſſe me, præ tædio, nauſeâque creandis, *juſtum* ejus, operiſque tam *nimis* putidè elaborati characterem, propriis Authoris verbis exhibere; Fuiſſet ſanè *causâ viciſſe*, vel *defenſionem ipſam* ſic dediſſe.

Dolet, non *aliud* eſſe, (quantum audio,) *in Angliâ noſtrâ*, quàm *quod* ad manus meas pervenit, *libri iſtius exemplar*; & neſcio, an præter *Unicum in univerſo Belgio* reperiatur, nec, *quot* in *Regnis, Statibuſque veſtris* (*Sereniſſimi Principes*) diſpertiantur, conjicere licet: Quò *duram magis* mihi *provinciam* obveniſſe ſatis video, cui ad *iſta* reſpondendum eſt, *quæ* quum palam non ſint, quàm *juſtè*, quàm *oppoſitè*, quàm *nervosè* quid *illis* repoſuerim, non tàm *facilis erit judicandi copia.*

Quanquam nec expectari poterat, *quotquot* ad manus fuiſſent *exemplaria*, ſic *veſtro Vos* abuſuros *tempore* (magnis, arduiſque rebus debito,) ut quæcunque *illi in buccam* venerant, *lectu digna* putaretis.

Sed nec *mihi* vacat *per devios omnes errores, anfractus,* & *mæandros vagum,* & *Inconſtantem* ſequi; Vix operæ pretium eſt, *rerum ſummam* decerpere; quæque *prolixâ, flaccidâ*, ſatiſque nonnunquam *Ineleganti Oratione ac Stylo* futiliter ille ſermocinatur, in compendium contuliſſe. Utcunque tamen, *eouſque* nimis *fidum* me *illi pediſſequum adjunxi*, nihil uſquam intermittens, quod ad *rem* quoquam modo pertinere videretur; idque *eâ* ubique *fide*, ac *Integritate*, ut non aliâ ratione *Gratiam veſtram, Favoremque* humiliter paciſci cuperem, quàm quâ *verum, candidum, juſtumque* me illi *adverſarium* præſtiterim.

'Sed quid Ego hæc autem'? Memini me pro verendo *ſummorum Principum Tribunali* ſtare, nec *debere Vos* niſi *rebus ſummis* interpellari; & *Res* quidem *ſummæ ſunt, quæ hîc vobis* offeruntur; Agitur nimirum de *dignitate veſtrâ*, atque *authoritate*, de *veſtrâ, Subditorumque veſtrorum libertate*, de *fortunis*, de *vitâ, animâ*que etiam *immortali*, per *pacem illam ipſam, unionemque, quas ſuadere* tantopere ſtudet *Verſipellis iſte*, miſerabiliter periclitatis.

Quid enim eſt *omnium* quod *intactum* atque *intemeratum* relinquit iſta *Religio*, ad quam non contentus eſt *ipſe* turpiter deſciviſſe, niſi, quod [a] *magnus ille rufus Draco* (*cujus imperio* nunc *ille* ſubeſt,) feciſſe dicitur, *etiam ſtellas cœli, Vos Orbibus veſtris* magnificè ſplendentes, cauda *quoque poſt ſe trahat.*

Satis hoc docent *Indulgentiæ ipſæ*, (unde Lutheranæ *diſſenſionis origo*

[a] *Apocalyps. c. 12. v. 3. 4.*

prima

prima, &, *quæ* gradatim ſecuta eſt, *ſeceſſio*,) *atrociſſima quæque* hominibus interminatæ; quippe *quarum furioſi præcones, defenſoreſque acerrimi* nullis non ſuppliciis addicendos eſſe clamitabant, *quibus carior* erat aut *Dei gloria*, aut *ſui ſalus*, quàm ut alterutram *Mammonæ injuſtitiæ* proſtituendam putarent.

Et quidem, ſi, quam *Mangonibus iſtis* poteſtatem maximè enormem commiſerat *Pontifex* ipſe, [*Capitolinus* ſcilicet *Ille Jupiter*] quicquid adverſus *has* moliretur quis, *fulminibus ſuis* vindicaturus; Si, quò proceſſerat *Commiſſariorum* immanis impietas; Si, quas de iiſdem propoſitiones *Lutherus* edidit [c. x.] à me memoratas; Necnon, *quæ* ſub idem tempus, ſæculares principes & ſtatus [a] *gravamina*, ſive *abuſus* ſedis Romanæ, (Ferdinando Cæſaris *locum tenente*, & Eccleſiaſticis ſtatibus conſciis,) Legato pontificis exhibuerunt; *Adjectis*, quæ non *à Galliâ* ſolùm, ſed quaſi undecunque deferebantur, *graviſſimis querelis*, Et, qui miſeriis his omnibus, ex vi conſcientiis hominum ubique oblatâ, maximus cumulus acceſſit, quorum omnium pleni ſunt Annales veſtri; Hæc ſi ſingula evolvere vacaret, *jugum* certè, quod nec *Vos*, nec *patres veſtri ferendo eratis*, (quod etiam *pro ſe*, *ſubditiſque ſuis* ſæpius *illi* ſunt profeſſi,) *cervicibus hominum* per *Reformationem excuſſum* grati recognoſceretis, nec idem, dubio procul, permitteretis unquam, *Veſtris*, *filiorumve cervicibus* iterum imponi.

Sed eſt tamen, quo vendunt iſta omnia Pontificii, Eſt, quæ, *quanti quanti* conſtent *Indulgentiæ*, ſatisfaciet, *Peccatorum plenaria remiſſio*, *Eſt* quâ Conſcientiis *pacem*, *quietemque* dant, tam miris modis oſtentari ſolita, *clavium poteſtas*; nec eſt, cur non *foro uterentur* homines, dum quicquid *his ipſis* extorquetur, ſic amplè compenſatur, *patente* protenus *cælorum januâ*.

Sic quidem, qui *venales Indulgentias* in *Miſniæ & Saxoniæ regionibus circumtulit*, *docuit Tecelius*, p. 54. [b] *'Se tantam habere poteſtatem à Pontifice, ut 'etiamſi quis*, vel *Virginem Matrem* vitiaſſet, condonare crimen ipſi poſſit interventu pecuniæ; O *fælix* jam *Mammona*! [c] *quis non de hoc faceret ſibi amicos, ut cum defecerit, recipiant ipſum in æterna tabernacula*? quis non [d] *tinnitu nummi* in ciſtam jacti animâ ſtatim *è purgatorio* evolante, (erant *iſtæ circumforanei Inſtitoris* voces,) ad Angelorum choreas ducere gauderet?

Atat! ſi *tantus* ſit in cœleſti *curi Papa*; [e] ſi per *Indulgentias ejus homo ab omni pœnâ ſolvi, & ſalvari poteſt*; [f] Si *qualem Poteſtatem habet Papa in Purgatorium generaliter, talem habet quilibet Epiſcopus, & Curatus in ſuâ Diœceſi & Parochiâ ſpecialiter*; [g] Cur *Papa non evacuat purgatorium propter ſanctiſſimam charitatem, & ſummam Animarum Neceſſitatem*? [h] Cur *permanent exequiæ, & Anniverſaria defunctorum, & non reddit aut recipi permittit bene-*

a *In capita 67 punctа verò 100 digeſta erant illa* gravamina, *vulgo centum gravamina dicta, tumque nuper Wormatiæ colligi cæpta.* b *P. 54. propoſ. Luther.* 15. c *Luc.* 16. 9. d *Luther prop.* 27. e *Luther. prop.* 21. f *Prop.* 25, g *Prop.* 82. h *Prop.* 83.

ficia-

ficia pro illis inſtituta, cum jam ſit injuria pro redemptis orare? &c. Propoſ. 84, 85, 89.

Aut quum *ſic peccata omnia* poteſt remittere *Indulgentiſſimus Papa*, cur *animam aliquam* ad *Purgatorium* amandari *omnino* patitur? Certè, *quam* præ aliis profitentur *Pontificii*, *tam eximiæ charitatis*, *quæ* ſic oſtentare ſolent, *bonorum operum* efficacius eſſet hoc documentum, quàm per quæcunque cætera *mereri quicquam* ſe, aut (ſit verbo venia) *ſupererogare* toties jactitant?

Si *peccatorum remiſſione* ſic ipſi gaudent, *eâdemque alios* reverâ *gaudere* velint, cur non *fontem ipſum* adire ſinant, unde *ſolatii hujus* lætiſſimi canales derivantur?

Talis eſt Scriptura S. per *cujus conſolationem ſpem habemus*; Rom. 15. 4. Sunt *hinc* illa *ubera conſolationum*, loquente prophetâ, Iſ. c. 66. v. 11. unde *famelicæ quæque animæ* liberè *ſugant & ſaturentur*; nec ſanè, niſi de *Scripturâ ipſâ*, *Luthero cum Pontificiis* diſſidium, nec niſi hâc ſtare optauit, quæ prædicabat, omnia; Ad *hujus unius Auctoritatem*, *coram Imperatore*, *coram Electoribus*, *coram Epiſcopis*, & *ad Papam* ipſum ſcribens, provocanſque, confugit; Nec niſi *eâdem hâc ſcripturâ cauſam ſuam* ubique niti voluerunt *alii Reformatores*.

Sed hoc ipſum eſt, (quod non hîc præterire poſſum, quum ſit *& Religionis* & argumentorum inter nos & Pontificios excutiendorum caput,) quod præ cæteris *Pontificios* malè habet; quòd *Scripturam ore*, *animoque* volvimus; Quòd non poſſumus omnia, *refragante Dei* ipſius *verbo*, *Papæ unius Authoritati* ſubmittere; quòd non *illius*, *ſacerdotumque mercenariam vocem tanquam Divinam* habemus; aut potius *verbum hoc ipſum* horum *commentis* non poſtponimus; adeóque protenus *hæreſeos ſtigmate* inuretur *id*, *quicquid* alius quis de *ſalutari hoc penû* depromere audebit; quinetiam ſacræ *ipſius paginæ Lectio*, tanquam *lethale* quid & *damnandum*, *rudi* atque *ignaro populo* denegabitur prorſus; nec vel *aliis eandem* verſare concedetur, niſi *mancam*, *mutilam atque interpolatam* (i. e.) ut ipſis placet, (Proh juſtum *infallibilis* Cathedræ privilegium!) ſic *correctiorem* ſcilicet *factam* & magis *emendatam*.

At cur non *eâdem ratione*, *ſolis lucem oculis* hominum, aut quò hanc ſecuriùs ferant, oculos ipſos priùs eripiunt? cur non *lippis nobis* noxiam eſſe dicunt *excellentem cœli ipſius gloriam*? cur non, ne *nimio vincamur gaudio*, aut *cognitione*, (erit enim *illa* gaudii illius pars non *minima*) [a] *quæ eſt in præſentia Dei*, *lætitiarum ſatietate*, *quæque ſunt à dextrâ ejus*, *perpetuis voluptatibus interdicunt*?

Imò verò *his ipſis* interdicunt; Dum, quam *omnibus communem* eſſe voluit *Deus*, Gentibuſque univerſis evulgari juſſit, [b] liberum *ſcripturæ ſacræ uſum* tam ſacrilegè inhibere non verentur: Eſt nempe *illa*, [c] *poten-*

a *Pſ.* 16. *v. ult.* b *Matth.* 28. *v.* 19. 20. c *Rom.* 1. 16.

tia

tia Dei in ſalutem omni credenti; [a] à *Deo ideò inſpirata*, ut *utilis eſset ad Doctrinam, ad reprehenſionem, ad correctionem, ad eruditionem in juſtitiâ, ut perfectus ſit Dei homo, ad omne bonum opus inſtructus*: at quid *ſalutis* ex *hâc tantâ hujus potentiâ*, *Quæ* redundabit *hinc* utilitas, ſi ignoretur? Quomodo per *eam perficietur quis*, ſi *ſilentio* aut *tenebris* tradatur?

Nec mirandum ergo, Quòd de *tanto hoc* divinæ *bonitatis*, ac *ſapientiæ theſauro tam acriter* contendêrunt pii *Reformatores*, quum præcipuè *illorum* quaſi *peculiare munus eſset*, (uti de eis prædictum fuiſſe cap. 14. obſervatum eſt) *æternum prædicare Evangelium*? *Quod ab ipſis* prædicatum, & velut *è tenebris* in lucem vocatum, reſtitutumque, humiliter confido, Regnis, Statibuſque veſtris ſileri iterum *Vos* nunquam paſſuros.

Enimverò cogitate vobiſcum, (*O Celſiſſimi Principes*,) *Cujus* eſt *æternum illud Evangelium*, cui *Vos* quaſi *nuntium remittere* velit *temerarius ſcriptor*? *æterni* ſcilicet *illius optimi, potentiſſimique Domini*, [b] per *quem Reges regnant*, & *Principes decernunt Juſtitiam*: Cogitate, non niſi *idem* eſſe debere *Regni veſtri*, ac *Dei ſceptrum, nempe illud ipſum Dei verbum, quod unum, quicquid juſtum, quicquid æquum eſt*, ritè præſcribit; Cogitate, *quanta vobis, quanta ſubditis veſtris* ex hoc fluunt commoda, *quorum utrorumque* ſive præſens, ſive æterna ſalus ex *illo* unicè pendet; Cogitate, *quot Deum, verbumque ejus* rejicientibus, *ineluctabilia* impendent *mala*: Quumque *iſta cogitaveritis*, cogitare iterum dignemini, quàm erga Vos *malevolus, invidus, perduelliumque peſſimus* iſte ſit, *quiſquis Vos, Regna, Statuſque Veſtros horrendis illis judiciis* ſubjici velit, quæ propter *Verbum Dei*, & *quod ei Teſtimonium tulerunt, mactatorum animæ*, ſub *altari graviter clamantes, adverſus habitantes in terrâ devocarunt*, Apoc. 6. v. 9. 10.

Reclamant quidem ſemper *Adverſarii*, (quod & facit *Otrokocſi* libri ſui p. 405.) '*Lutherum, ſocioſque, & reliquos Nos Proteſtantes* prætendere quidem verbum Dei; Scripturam S. frequenter ore volvere, ſed eſſe tamen 'ſceleratiſſimos ejus corruptores'; Sed judicet igitur inter *nos illud ipſum verbum Dei*, an *Qui hoc* maximè *argumenta noſtra fere omnia* confirmamus, an *Qui* non recuſamus vel *totâ causâ* protenus cadere, quoties tam manifeſto ſcelere, quàm eſt illud, ne dicam, hujus corrumpendi, ſed vel latum unguem ab eodem decedendi, deprehendamur: *Judicate* & *inter nos Vos ipſi* (Æquiſſimi Principes) *nec gratiam, nec tutelam rogamus* Vos, ſi vel minimum ſit, in quo *nobis* cum *Pontificiis* non convenit, *quod* non Scripturæ determinandum committimus; *Fortunas, Capita*, & quicquid aliud nobis chariſſimum ſit, niſi *hîc* vincamus, *juſtiſſimæ veſtræ Indignationi*, extremæque vindictæ penitus oppignoramus.

Et quid *nos* in *indagandâ, urgendâque Scripturâ*, præter *Scripturæ ipſius Veritatem*, ejuſque *benigniſſimi Authoris gloriam, honoremque* præ nobis ferimus,

a *Tim.* 3. 6. 7. b *Prov.* 8. 15. 16.

rimus, non eſt difficile *nunc* ſtatuere; *At quid* contra præ ſe ferunt *ii*, qui *illam ipſam Scripturam*, *æternum* illud *Evangelium*, (cujus tamen vel *Jota unum*, vel *unus apex* non præteribit, *donec cœlum & terra prætereat*, Matth. c. 5. v. 18.) *quaſi deſecrare*, *damnare*, *cumque fautoribus illius*, *terrâ marique exterminare* nequicquam reformidant.

Atque (detur hic obiter rogandi venia!) quàm non *Vobis* ſolùm, ſed & *humano* generi *perfidus is ſit*, neceſſe eſt; Quiſquis ad *unionem*, *concordiamque*, *cum illâ Eccleſiâ*, quæ *docet*, ac *defendit iſta*, ineundam ſuadet?

Eſt quidem, Quo ad Religionem illam, quæ docet & defendit iſta, invitat *Vos* ſubdolus *Palpo*, venerandum *pacis* nomen, Eſt *pax juſta nullo non pretio* redimenda; ſed an ergo *quo jure*, *quare injuriâ* cum *iis erit quærenda*, *quibus*, & *quibuſcum juſtiſſimus Deus* dixerit *nullam eſſe pacem*? aut an *Eccleſia* etiam *iſta* nomen *ſuum* omninò mereatur, quæ *regiam hanc Dei Chartam*, (*Scripturam* dico,) per *quam* ſolam *Eccleſia aliqua* fundari poſſit, aut *ſtabiliri*, *celaverit*, *rejecerit*, *reſciderit*?

Æſtiment nunc, quanti volent, *Indulgentias* ſuas Pontificii, *remiſſionemque* peccatorum per *has* conſequendam miris modis oſtentent; at vereor tamen, ne tempus advenerit, quum *aliâ ipſis* opus erit *remiſſione*, aliis *indulgeniis*, quibus *iſta* condonentur. Non eſt ſic *ſui* oblitus Deus, ut *gloriam ſuam* alteri det: *cœlum*, *& terram* revera præterire oportebit, cumque *ipſis Deum*, priuſquam *hac* ſe *ille* exuat *Prærogativâ*, *aliaſque denunciari harum conditiones* permittat, quàm *quas* in *Evangelio illo*, quod ſic *plane irritum facere* conantur *iſti*, promulgari juſſerit.

Quoniam verò *in hac causâ* non Vos ſolùm (*Maximi Reges*, *Principes aliique Proteſtantium Magiſtratus*,) ſed *Proteſtantium* (quos vocat) *Spirituales Directores*, perque *Dedicationem*, *Præfationemque* inſuper additam, quaſi *omnes omnium* Ordinum & locorum tam exultabandus affatur (dolet quod non licet mitius quid dicere,) *infamis hic Apoſtata*, tanquam *reliquos quoſcunque* tam facile eſſet, *quàm ſe*, *conſcientiamque ſuam ſuperâſſe*; id unum humillimè rogo, ut ex ore ſuo judicetur, 'ex arduis ſcilicet illis, *quæ* ſibi in 'principio quidem obſtitiſſe dicit, quò minùs ſine morâ reſolveret ſe ali-'quando amplexurum communionem Romanæ Eccleſiæ, ſed jam tamen 'ablatis'. Et judicate Vos *piiſſimi Reges*, *Principes*, *Magiſtratuſque alii Proteſtantes*, immò judicet *humanum genus*, quoniam per iſta ad communionem hanc *tam planam*, ut ipſi videtur, ac tutam viam aperit;

1. 'An Eccleſia illa, cujus communioni neceſſarium eſt, ut quod ad illud 'uſque tempus, quo hanc ipſe initurus erat, ex Scripturâ S. & veteris 'Eccleſiæ doctrinâ & praxi de cultu ſacro ac religioſo ſic didiciſſet quis; 'Deum nempe ſolum eſſe religiosè adorandum; Imaginibus verò vel 'aliis rebus creatis, propriè dictam Religionis adorationem, ſeu cultum 'ſtrictè religioſum exhibendum eſſe, nec in Scripturâ S. nec apud an-

'tiquos

'tiquos S. Patres, Justinum, Irenæum, Clementem Alexand. Tertullianum, 'Cyprianum, Arnobium, Lactantium, Athanasium, Ambrosium, Hiero-'nymum, Augustinum, Cyrillum, Leonem Papam, Fulgentium, & ipsum 'quoque Gregorium Magnum (quibus Carolum Magnum cum suis Gal-'liæ & Germaniæ Episcopis annumerare potest) unquam legisset; Ità 'ut veterum de cultu sacro doctrina cum hodiernâ Romano-catholico-'rum sententiâ videretur ipsi irreconciliabilis esse:

2. 'An Ecclesia illa, cujus communioni necessarium est, ut qui ex iis-'dem memoratis Authoritatibus arcte teneret, *nos per solius Jesu Christi.* '*merita consequi remissionem peccatorum*, & *vitam æternam*, quisque hîc 'non videbat quomodo refugium ad merita sanctorum, ut est in usu apud 'hodiernos Romano-Catholicos possit consistere cum antiquâ Catholico-'rum sententiâ:

3. 'An Ecclesia illa, cujus communioni necessarium est, ut, qui Scriptu-'ram sacram ex iisdem principiis memoratis, haberet superiorem omnibus 'hominum scriptis, definitionibus ac traditionibus, eamque sufficientissi-'mum principium omnium ad salutem credendorum, & faciendorum ag-'noscеret: & cui neque hic patebat, quomodo hodiernam Romanæ Eccle-'siæ sententiam de Traditionibus Ecclesiasticis cum Scripturâ S. concilia-'re posset:

Judicate Vos, humillimè ad *Tribunal vestrum provocatur*, An *Ecclesia illa*, cujus *communioni necessarium* est, ut istis omnibus contraria quæque profiteatur pius quis proselytus, (sunt enim diserta illius verba, quæ jam citavi, singula,) *talis sit*, in quâ *periclitanda sit æterna animarum salus*?

Interim verò, quàm *male vos tractat is*, qui tam *absurdas hasce propositiones Vobis patrocinandas imponit*, ac si *verum omnem Dei cultum* rejicere, *Christi aspernari merita*, *Scripturasque*, in quibus *solis habenda est æterna vita*, viliùs æstimare, *Christianæ* communionis *conditiones* quidem *certissimæ*, & velut *propria quædam jura*, & *privilegia habeantur*?

Sed est ultra, (quem *arduis istis*, quæ ipsi primitùs obstiterunt, adjicit,) *scrupulus ille*, de *Antichristo magno*, *An adhuc venerit*, *necne*, *fueritque ille Romæ præsens*? Huic Ego ut scrupulo satisfaciam, (1.) *Romæ nascendum esse Antichristum*, (2.) *labefactatoque Romano imperio*, *revera natum*, (3) atque *ad ætatem maturam* perveniisse, (Anno *scilicet post natales*, sive *ortum suum* [b] 666. in quo & *numerum Hominis*, & *Bestiæ* ponendum, figendumque esse statuo:) quin (4.) & *quibus plagis*, ac *judiciis* gradatim *mulctandus erat*: atque *horum*, (5.) *quot jam* subierat; (6) *qudmque Ruinæ*, & *extremo planè exitio* proximus sit, *justo ordine* demonstravi. *Quibus singulis donec* responderit *Otrokocsi*, aut *quisquam alius Pontificius* (nec enim jam vereor hujus verbi invidiam,) *cessabit* spero ultra, non modò *Serenissimis Vobis*, sed & *qui-*

a *Joan.* 5. 39. b *Cap.* III. IV. V. VI.

buſcunque aliis pacem atque *unionem* cum illâ *Eccleſiâ ineundam ſuadere, in quâ* tam *manifeſtus Beſtiæ character*, totque ejus *indicia*, ac *ſigna* planè *indubitata* reperiantur.

Quanquam non eſt adeò mirandum (*Excelſiſſimi Principes,*) *veſtram illum* (blanditiis dicam, an mendaciis ſuis) ſic *lædere audere Majeſtatem*, qui nec *divinæ* parcit; quippe qui non *contentus*, quod humanum eſt, *errare*, errores ſuos ubique *Deo ipſi* affingere nequicquam dubitavit; hinc illa ſcilicet [a] *interna Vox*, quâ, quotieſcunque difficultas aliqua prævaricantem urget, *Deum ipſi loquentem, monentem*, modò *per ſe*, modò *per alios* conſulentem, &, prout res fert, & ancipitis, dubiæque cauſæ diſpar ratio poſtulat, *ultrò citòque arguentem* tam familiariter introducit.

Facit id *ubique ferè primi ſui capitis*, atque *alibi*, perque *hanc unam* jam *memorata ſua obſtacula* ſibi protenus *ablata eſſe ſolidè triumphat* p. 31. 32. 33. 34. 35. Sed proh *impudens* ac *blaſphemum facinus*! *proh impietatem* vix *ullo ſeculo, ullâ hominum apoſtaſiâ* æquandam! proh *Eccleſiam*, (*in cujus amplexus* ſe ſic tradit, *in quos* & Vos allicere ſperat,) *proſelyto ſuo dignam*! Cedimus, cedimus Tibi (*Roma*) dignum Matre filium; cedimus Vobis Jeſuitæ tam docilem veſtrum Diſcipulum; ſed abſtinete, rogamus, à *ſacris Principibus impuras manus*; nimis, jam nimis diu lenocinata eſt liberis ſuis [b] *Mater fornicationum & abominationum terræ*; nimis *meretricia ſua* oſcula *Babylon magna* impertivit, *complexuque ipſo enecavit*; *cadere hanc cœpiſſe*, quum [c] *falx primò* ad *metendum* eſſet immiſſa, ex Apocalyps. c. 14. v. 15. capite noſtro XIV. oſtenſum eſt, *cadere & ultra debere illam*, quum ad *vindemiandum* erit iterum *immittenda*, [v. 18.] *propediem expectamus.*

Abſit verò præ cæteris omnibus, à Vobis præcipuè (*Celſiſſimi Proteſtantium Patroni, Principeſque,*) quos pridem tantâ ſuâ providentiâ ex Babylone evocavit miſericors Dens, *Ruinis ejus jam contumulari velle*; Non eſt *ſcorti iſtius* tam *ſplendida ſervitus*, ut *eidem* Vos emancipare ultra; non ſic *illi* Vos vel veteribus, vel novis Officiis, beneficiiſque devincti, ut cum *ipsâ* communi *Vos* exitio devovere cuperetis.

Nec ſatis hoc certè videtur ſecum perpendiſſe *Otrokocſi*; vix enim aliter, tanquam quo illam aut *Vos aut Majores Veſtri ſpoliaßent*, tam *importunè inſtitiſſet*, 'ut honor Romanæ Eccleſiæ ereptus viâ ſanctæ Reconcilia-'tionis reſtituatur, idque, quo Vobis eundem ſubditi veſtri reddant.'

An ergo, ut clamoſo homini ſatisfiat, *Vos* (O *Clementiſſimi Reges*, ac *Principes* [aliique Proteſtantes Magiſtratus] *honorem hunc illi*, an *illa vobis* eripuit?

Dicant hoc, *quas* multis jam ſeculis uſurpavit *iſta, Dignitates, Poteſtates, Supereminentiæ*? dicant *Juriſdictiones, Exemptiones, Privilegia, Prærogativæ*,

a *P.* 4. b *Apocal.* 17. 5. c *Apoc.* 14. *v.* 15. d *P.* 8.

tivæ, [nec cuiquam Apostolorum à Christo unquam concessæ, nec ad *Evangelium*, cui prædicando emissi sunt, omnino utiles; imò his omnibus contraria sancivit Christus Matth. 20. 25. 26. *Principes Gentium dominantur eis & potestatem in eos exercent*; Sed *non erit sic inter Vos.*] dicant porrò, *Opes*, *Patrimonia*, *reditus*, *Annatæ*, *Provisiones*, *Investituræ*, (barbaræ quidem voces harum plurimæ, sed res ipsæ magis barbaræ!) quibus *Vos subditosque Vestros auro*, *argentoque* jam die emunxit *ista Ecclesia*: dicant unde lis omnis orta est, *Indulgentiæ ipsæ*, per *quas* non hominès modò *pecuniis*, *& innocentiâ*, sed *Deum ipsum summâ suâ*, scilicet *remittendi peccata*, *prærogativa* spoliat *ista Ecclesia*: dicant, quos *Vobis* quotidie eripere laborat, *subditi ipsi*, *duobus dominis parere* nescii, *Vobisque*, ut ut aliàs solenniter datam, *fidem fallere*, (quum opus est,) *probè docti*: dicat *regnum* in *regnis Vestris* constitutum; dicant, *regna ipsa* jam olim *majoribus Vestris vi vel fraude rapta*, *mutata*, *inversa*, *eversa*: dicant, *quas* adhuc sibi *Papa ipse* usurpat, *coronæ aliquot*, *quidque alius* tanquam *res mancipi* retinet; adeò sic *opibus*, *potestate*, ac *honoribus* aliunde corrasis gaudet *ista Ecclesia*, ac si, quæ *Tentatore offerente Servator ipse* respuerat, *mundi regna omnia*, & *gloriam illorum*, sibi tamen peculii jure vindicare non deberet dubitare.

Sed ut ut *minùs æqua* Vobis fuerit *Ecclesia Romana*, (*Deo* tamen gratias,) *curavit ille*, qui *potest vestra*, *Auctoritasque sarta* tecta conservaretur; Hinc illud Exod. 20. v. 12 Exod. 22. 28. Ecclesiast. 8. 2. ibid. 10. 20. Marc. 12. 17. ad Roman. 13. 1. 2. 4. 5. Petr. 1. c. 2. v. 13. & 17. Adeò quæ *Cæsaris*, *Cæsari*, *quæ Dei*, *Deo* tribuere docet cùm *vetus*, tum *novum instrumentum*, *utrique* scilicet *sua*, Conscientiæ causâ;

Nec poterat *Antichristi characterem* ad se efficaciùs traxisse *Romanensis Ecclesia*, quam, quòd *se* super *omnem dictum Deum & numen*, i. e. Supra *potestates supremas*, (*quas* titulo hoc [c] scriptura ipsa dignatur,) evexerit! Quòd etiam *Regnorum Vestrorum* aliquot, (quod jam nunc innui,) *de facto usurpârit*, *supràque se*, *Virtutem & potestatem eidem* reliqua dederint; *Quam* tamen ipsi *abripiendam* esse, Vobisque (ne diutiùs *honorem hunc* illi *a Vobis debitum* crepet *Otrokocsi*,) postliminii jure *restituendam*, quàm clarissimè [e] prædixit Spiritus S.

Quòd autem *Sibi*, *Vobisque* Majores Vestri *jus hoc* tam fortiter vindicârunt, (in *quam libertatem* speramus brevi, *Se*, *Subditosque reliquos omnes Principes* quoque justissimè *vindicaturos*,) non video, cur non *ad hanc ipsam prophetiam* referretur.

Quòd si iisdem *divinis auspiciis* stent *regna vestra*, quibus *prophetiæ ipsius hujus veritas*; si sit *eadem peculiaris cura*, *atque Providentia* summi omnium *Statoris Dei*, quâ *potestas Vestra*, *sanctaque illius Religio* conservetur; Si sic voluit *Vos* [f] *Ecclesiæ suæ nutritios esse Patres*, ut quotiescunque de *puri-*

a *Matth.* 4. 8. b *Exod.* 22. 28. c *Psal.* 80. 6. d *Joan.* 10. 34. 35. e *Apoc.* 17. v. 13. f *Isa.* 49. 23.

tate ſuâ deſciverit *illa, huic* Vos *illam, illique hanc* protenus reddatis; Si ſit *veſtrum* ad efficiendum hoc, *idem jus*, quod *Moſi, Judicibus, Regibuſque Iſraelis*; Si quam *Reformationem* molitur *Clerus*, *veſtris præſidiis* fieri; Si quod *privatus quis* (quanquam in *tam publicâ causâ* quis eſt *jam privatus*?) hic aggreditur, cum communi erga *Deum*, *Voſque* obſequio conjungi oporteat: ſi frivolum, ineptumque ſit, quod *Religioni ipſi*, ſub *invidis*, (ut apud nos olim,) *Parlamentariæ*, ſic & fortè apud *Vos*, *Regiæ*, *Ariſtocraticæ*, *Democraticæ*, *Laicæ* Epithetis objici aliquando contigit; quaſi dicantur ſtatim *Principes Sacerdotum Officium* invadere, quoniam in *eodem eos* continere conantur; Si *Vobis*, *Subditiſque veſtris* incumbat, quicquid ad *Reformationem* conferre *poſſitis*, idem & *velle*; Gaudete Veſtro tam excellenti bono, nec *tantâ*, tamque *propriâ Vos* quiſquam fraudet *gloriâ*: Nam quid tam magnum, quid tam divinum, quàm hinc demoliri *regnum Diaboli*, *Dei* autem ac *Chriſti* inde ampliare?

Gratulemini, gratulemini *Vobis*, quòd *Communionem illam* deſeruiſtis, in *quâ*, nec *Vobis* licuit *Vos verè Reges*, nec *Subditis*, *ſe Vobis fideles* præſtare.

Libera eſt, quam Deus *Vobis* reſtituit, *Religio Chriſti*; *Liberum ejus Evangelium*; *Liberi ejus Diſcipuli*; *Liberos* jam *Vos* fecit *Veritas*, *liberam* & *Vos ipſam* facite.

Nec reformidate ultra (*Piiſſimi Principes*) *edictis veſtris* reclamantem adverſarium; promulganda per Vos *Regis cœleſtis lex*, *illud* volo *æternum Evangelium*, *nullâ vi* frangendum, *nullâ temporis injuriâ* interiturum, Vos *Statuſque veſtros invictos* reddet: *Suæ* tantùm *Autoritati* reſtituatur *Scriptura*, & *Vacillabit*, imò *corruet* protenus *Babylon*:

Eſt *hæc illa lampas*, *quæ* dum *illuminat* alios, *tenebrionum* omnium magis *perſtringet oculos*: *Hic Ille gladius Spiritûs*, *quem* ſi ritè vibrari juſſeritis, non poteritis non contradicentes quoſque *debellare*: Audite Apoſtolum; 'Quæ ſocietas Juſtitiæ & iniquitatis, quæ communio Luci, & tenebris, quæ 'concordia Chriſti & Belial, quæ pars fideli cum infideli? Quis conſenſus 'Templo Dei cum Idolis? Videtis *hoſtes*, habetis *in manibus Arma*, ſe'quimini *ſalutis Veſtræ Ducem*, nec *dubiam* fore metuite *Victoram*.

An verò, ſi cum his *pax nulla*, ſi *concordiam*, *unionemque* cum *illâ Eccleſiâ*, ad *quam Vos* allicere ſperavit *leviſſimus transfuga*, non inire liceat; *quæ* eſt ergo *Eccleſia*, cujus *pax* quærenda eſt? quæ illa *concordia*, ac *unio*, *quam* ſuadet, ac jubet *ſacra Scriptura*?

Eſt quidem *illa*, (Sereniſſimi Principes,) *quæ Scripturæ ipſi* conformis eſt, *quæ hanc* defendit, *huic ſe* regendam tradit, *hac unicè* nititur: Et *quæ illa*? niſi *illa ipſa*, in *quâ* jam non eſt, *Otrokocſi*; *Reformatam* dico, in *quam*, cum *primis ejus Autoribus*, tantopere iſte deſpuit: ſed quàm injuſtè (c. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.) evincere conati ſumus; *probatoque* prius (c. 7.) nec *Luthero*, nec *cuiquam*

2 *Corinth.* 2. *c.* 6. *v.* 14. 15. 16.

alii

alii Reformandi ſtudium exprobrandum eſſe; ignoſcetis, ſpero (*Celſiſſimi, Potentiſſimique Domini*!) ſi jam in opere *eo Vos* pergere tantùm hortor, quod tam *feliciter* auſpicati ſunt *Majores Veſtri*, *Voſque ipſi* adhuc non minùs feliciter promoviſtis; Illud duntaxat *præfatus*, ſi quid in primâ *Reformatione mutilum*, *mancumve* fuerat; Si quid, quod *Evangelii puritati* non ad amuſſim reſponderat; Si quid, in quo à *ſacramentorum ſimplicitate* fuerat aberratum; Si quid in *quo*, ab *ipsâ ſacri textûs literâ* deſcitum; ad *Vos* nunc ſpectare, quod eſt inchoatum *bene*, *melius* perficere: Si quicquam fuerat, quod in *Luthero*, aut *quoquam alio Reformatorum*, jure *vituperandum*; *ne quid* jam amplius reſtet, *quod vituperet Adverſarius*, veſtra laus ſit, curatum dare.

Id verò præ *omnibus* curæ eſſe debet, ne, *quibus* quærimus *pacem*, nos interim *eandem* ipſis non negemus: *Nos*, inquam, *Proteſtantes*, dicamne cum Otrokocſi *utriuſque partis*? *ceſſent*, *ceſſent* tandem (proh pudor!) inter nos *iſta Vocum diſcrimina*; *ceſſet*, *quicquid* eſt, aut fuit unquam *diſcriminum iſtorum cauſa*: putemus, quàm adhuc in *Babylone* hæremus, ſi quid *odii*, *invidiæque*, ne dicam, *ferociæ*, *immanitatiſque iſtius*, (unde tot, tantæque Chriſtiano Orbi funeſtæ clades,) inſidere, atque inveterare patimur in *noſtro nomine*;

Eſt, quod in *rebus dubiis*, aliorum humeris imponimus, *onus omne perſecutionis illius quoddam genus*; Quicquid *Evangelii libertati* contrarium, *turpiſſima ſervitus*; Quicquid porrò *ſuperſtitionis*, quicquid *errorum Romanenſium* retinemus, eſt iſte *Character Beſtiæ*, qui nos etiamdum *Viliſſima ejus Mancipia* nimis declarat: Quicquid *à Scripturâ alienum* injungimus, (ſi quid fortè ſic injungimus,) *Satanici* inter nos *Regni* manentis ſymbolum, & planè *captivos nos* eouſque adhuc ducentis *Diaboli triumphus*!

Quæ verò *Vos* (*Optimi Principes*!) his omnibus *domi* proſpicere jubet *Chriſtiana Charitas*, non *Vos* patietur *eadem oblivi*ſci, eſſe etiam alibi, *in quorum Tutelam*, *defenſionemque*, ad *tantam Vos dignitatem*, ac *potentiam* evexiſſe videtur *ſummus mundi Arbiter*: *Jacent* utique *ad pedes veſtros*, *quibus* non eſt permiſſum *alibi jacere*, *oppreſſa Chriſti membra*; rogant, obteſtantur, ſupplicant, *carceri*, *exilio*, *proſcriptioni*, *morti addicti*, ut ex Draconis ore inopes, deſertoſque eripiatis; [a] 'Clamant *ſub altari animæ propter Verbum Dei*, *& Teſtimonium Agni mactatorum*, uſquequò Domine Sancte, ac 'Verax non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus in 'terrâ'? Abſit ut hoc *veſtra* tingatur *purpura*! Quod unum *Vos* hoc eximet reatu, id eſt ſcilicet, quòd *Vos iſte clamor* intimè movet, quòd *mactandos* exauditis, ſubvenitiſque; quòd *nudos*, *deſertoſque purpurâ veſtrâ* tegere properatis.

Miſeremini, miſeremini, (ſi *quæ Vobis* amoris viſcera, ſi quid *Vos* tangat erga

a *Apocal. c. 6. v.* 10.

Vos

Vos Dei, Chriſtique (quorum *illi* ſunt,) *miſericordia*, Miſeremini eorum, *quos ſuppliciis, cruciatibuſque continuis*, devovent *inexorabiles illorum, veſtrique*, [dixero?] *Dei potiùs, verbique ejus infenſiſſimi hoſtes*: Miſeremini; (jam *horum* miſerti eſtis, & Deus Vobis in illo die compenſet opera veſtra amoris, quæ *exulibus ejus* feciſtis, & facitis,) Miſeremini [a] *Teſtium, quorum cadavera* non ſiviſtis adhuc, (nec debetis ſinere,) *poni in ſepulchris*: Miſeremini, dicturus eram, tam diu indigna ferentium *Waldenſium, & Albigenſium*! (ſunt *vetera* quidem *illa nomina*, ſed quorum memoriam inimicorum *repetitæ furiæ, redintegrata* Majorum ſuorum *barbaries*, & pene *ſuperata* crudelitatis *immanitas*, non patientur intercidere: Miſeremini Reliquiarum horum θεατριζομένων, *Deo, hominibuſque ſpectaculorum*, nec triumphet ſemper *Sanctorum ſanguine iſta* MERETRIX PURPURATA.

Miſeremini, (non debemus *illorum* obliviſci, quorum causâ hoc opus cœptum eſt,) *miſerorum, miſerandorumque Hungarorum*, hinc *Pontificiorum*, inde *Turcarum* feritati expoſitorum: imò verò, (nec enim *Turcis ipſis* injurium eſſe decet,) *Turcarum* ſolâ, pœne dixeram, miſericordiâ adhuc ſuperſtitum! Pudet quidem *illis* vel videri debere, quod *Cæſareæ laudi* magis proprium eſt: Nec poſſum Ergo non ad *Majeſtates, Celſitudineſque Veſtras*, in tam *Chriſtianâ hac cauſâ*, æque ac *Cæſaris ipſius*, humillimus accedere orator; ut pro *Veſtrâ apud Cæſarem Autoritate*, ac *grati ſumm* , intercedere dignemini, ne in *jacentes, atque proculcatos*, inimicorum ſuorum *odium, invidia, rabieſque* planè *Satanica* diutius inſultet: At *quorum* tamen *inimicorum*, niſi *quibus* id maximè moleſtum eſt, quòd *Verum veri Dei cultum* proſtituere, quòd, *quam in Chriſti meritis ſpem* habent, deponere, quòd *æternum Eius Evangelium* rejicere, vel deturpare, nequicquam auſint; quòd rejecto, quos nôrunt nec *adeſſe*, nec *audire*, nec *ſubvenire* illis poſſe, *Sanctorum inani cultu*, apud *Deum ipſum, Chriſtumque*, pro *Cæſare, Cæſariſque imperio* tam continuas, puraſque *fundunt* preces; quòd *ſuperſtitione omni*, ac *Idololatriâ* miſſis, in *pietate*, & *ſanctitate verâ* vitam agere percupiunt, nihil magis affectantes, quàm ut *quietè*, & *tranquillè* degentibus, *Deo, Cæſarique* [b] *fideles* ſe, ac *obſequentiſſimos Subditos* præſtare liceat.

Hæ ſunt *illæ* ſcilicet tam *barbaræ immanitatis*, & *irarum* cauſæ, *quibus* quotidie eos exagitant *Zelotypi adverſarii*! *Hæc illa ſcelera*, quorum *eos* inſimulant *Mortalium acerbiſſimi Jeſuitæ*! *Hæc illa*, propter *quæ*, non *tectis* ſolùm, ſed *Templis*, adeóque *jure omni*, ſive *civili*, ſive *ſacro excidiſſe* cenſentur! nec, qui vivant etiam, digni habentur, quia *alienæ libidini*, ac *Luxui, ſuperſtitioni*, & *Idololatriæ*, imò *Antichriſto ipſi* vivere recuſant.

a *Apocalypſ. c.* 11. *v.* 9. b Teſtor ex quo ipſi *Rebellionis*, aut *proditionis inſimulabantur*, Victricia contra *Turcas Reformatorum Jaurinenſium, Papenſium, Veſzpremienſium, Szendrövenſium, Fülekienſium, Onadienſium, Szathmarienſium, Szent-Jobienſium* Arma.

At

At quàm hoc *laudi honorique Veſtro* cedet, (*Principes Optimi*) ſi, *Vobis deprecantibus, ſacro ſuo nomine & Autoritate nefarios iſtos abuti* non patiatur ultra *Cæſar*? quàm *Cæſaris ipſius gloriæ*, ſi pro *ſuâ ſolitâ Clementiâ, oppreſſæ* hominum *innocentiæ* ſuccurret *Ille*, ſeu potiùs (fas ſit verbo) *oppreſſo Deo*? Nec enim videntur minus quid moliri *Sacrilegi iſti*, quàm ut *Deum ipſum*, (id faciunt, qui *ſyncerum ipſius cultum, dilecti ejus filii merita, Verbumque ejus ſanctiſſimum* oppugnare non verentur,) quantum in ipſis eſt, *è mundo* eliminent; nec, quicquid præ ſe ferant, minus eſt, quod *Cæſareæ* etiam intentant Majeſtati.

Nam *quæ Cæſari ipſi*, quæ *Romano imperio* ſalus, dum ad *illius* clavum admittuntur, quorum intereſt *turbare & miſcere* omnia? quum non aliter *ad illud*, quod ambit, *culmen uſurpatæ* poteſtatis aſcendere poſſit *Antichriſtus*, quàm uti olim, ita etiamnum, *ſublatâ quâ* obſtat, *imperatoriâ dignitate*.

Satis, ſatis (*Principes maximi*,) datum eſt *Homini peccati*, quod *Romanum* jam olim *Subruit imperium*; ſatis, quod *Cæſarem ipſum*, ex quo [a] *redintegratum* eſt *illud*, [b] *Româ penitus exulare* juſſit; ſatis, quod *illi, Vobiſque omnibus*, donec *Vos in libertatem* vindicavit *Reformatio*, (ignoſcite turpi dicto,) conceſſum eſt tantùm *Beſtiæ imaginem* referre, illius nimirum cauſæ, & libidini unicè inſervientibus, & (proh *ſummorum Principum* dedecus!) quaſi *emancipatis*: ſatis, imò plus ſatis, quòd cum *purâ, ſyncerâque Religione, Vobis, Subditiſque Veſtris* præſidium, & *benedictionem Dei omnimodam* elevare; quòd *afflicta veſtra Regna, afflictum imperium*, jam (ut cap. IV. v. VI. oſtenſum erit,) per tot ſecula *calamitatibus tantis, tantis cladibus, tantis ſeveriſſimis judiciis* expoſuit.

Et nunc quæſo, obteſtorque (*O Sapientiſſimi Principes*,) ſatis ſit; Nec ultra pergite ad *gravius*, ſi fieri queat, cum *Antichriſto ipſo Voſmet* exitium præcipitare: Nihil ſic huc tendet, ac peſſimorum hominum; *Veſtro Nomine*, ac *Autoritate ſcelera quæque* tegentium effrænata audacia; nihil contra ſic ornabit, adaugebitque *Dignitatem Veſtram*, ac quòd *bonitatem*, & *miſericordiam, æquitatem* & *juſtitiam* planè *divinam*, (quantùm fert humana ſors,) imitari non ceſſabitis: Nihil ſic *proprias Veſtras* amplificabit *laudes*, ac quòd, *quam Vos à Deo, Chriſtoque Tutelam* ſperatis, *humano generi* ubique ſuppeditare parati eritis; Nihil denique ſic *Vos* propiùs admovebit *æternæ illi gloriæ, quam*, quum ad *aliud Regnum, alium Thronum* eritis evecti, expectabitis, ac quam *beneficiis meritiſque erga omnes*, prælertim *ejuſdem Fidei domeſticos*, feliciſſime hic inchoatis.

[c] Deus *ſolatii & miſericordiarum* pater, *corda veſtra* ſic aperiat, ut gemitus, planctuſque pro *ſe* & *verbo* ejus *duriſſima* ferentium, *lenes, mites, æqui, Chriſtiani & ipſi* placidè audiatis; *Regii Fratris Veſtri verbis* ac *conſilio* Vota claudo:

a *Ann.* 800. *Carolo magno tum Imperatore creato.* b *Apocalypſ. c.* 13, *v.* 14. c *Rom.* 15. *v.* 5. *Cor.* 2. *c.* 1. *v.* 3.

[a] *Et*

[a] *Et nunc Reges intelligite, inſtruimini Judices terræ, ſervite Domino in timore & exultate in tremore; Oſculamini Filium, ne fortè iraſcatur, & pereatis de viâ, cum exarſerit vel paululum ira ejus: Beati omnes fidentes in eo:* Sic ut ſitis *Vos* beati, optat animitus, ac devotiſſimè precatur,

a *Pſal.* 2. *v.* 10.

Majeſtatum, Celſitudinum, Dignitatumque V. &c.

Humillimus & Obſervantiſſimus Cultor

BENJ. WOODROFFE.

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQUE PRINCIPI

FREDERICO

GRATIA DEI

REGI PRUSSIÆ

Margrav. *BRANDEBURGI,*

ARCHICAMERARIO

ET

ELECTORI SANCTI ROMANI IMPERII,

Supremo Principi AURIACO,

DUCI

Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Bergi, Stetin, Pomeraniæ, &c. &c.

LIBRUM hunc, quem Tibi unà cum *Sereniſſimis Proteſtantium Regibus, Electoribus, celſiſſimiſque aliis Principibus* pridem humilis obtuli, dignetur hodie *Majeſtas veſtra* proprio quodam jure ſuum vendicare; Quippe qui cauſam eam defendit, quam *potentiſſima, piiſſimaque illa familia,* Cujus *Tute* nunc *Caput & Gloria,* defendiſſe etiam tantæ laudi, honorique jam olim duxit, ac ſi *Coronâ ipſâ,* quâ nunc ſplendet, majus quid eſſet, *eandem* ſic meruiſſe.

Hinc inſignis illa, & quaſi hæreditaria quædam Clementia, quâ non ſolùm ejectos è *Galliâ Reformatos,* quibus Patriam novam, Civitatemque Principum omnium primus dedit magnus ille Pater tuus *Fredericus Gulielmus,* ſed è *Palatinatu, Hungariâ, Sileſiâ,* atque alias undecunque ad Te tanquam ad communem aram, Aſylumque confugientes tam lætus accipis, ac foves, tanquam qui inter cæteros omnes honoris titulos, nullum tam verè Regium habere videaris, quàm,

qui Te pariter ac Parentem tuum optimum, PATREM EXULUM declaret.

Quanta sit pietas Tua, quanta benignitas satis intelligunt subditi tui, qui, dum *Regem suum magnificum*, *Augustumque* deprædicant, nihilo tamen magis, talem esse recognoscunt, quàm misericordiâ, atque bonitate: Sunt nimirum hæ eximiæ illæ dotes, quibus summum omnium Monarcham tantopere æmulari gestis; nec potest esse felicius duraturi Regni omen, quàm quòd iisdem, quibus Dei ipsius stabilitur solium, tuum pariter inniti velis.

Et gaude semper (*Rex Optime*) tanto hoc Exemplo, gaude tam Excellenti bono, quo, nondum *Rex dictus*, Regibus maximis parem, ne dicam, Te superiorem dedisti; Sentiantque, quotquot *Majestati tuæ* culmen illud invideant, ad quod in tam dubio, atque ancipiti hoc tempore divina Te evexit Providentia, non aliâ lege isthuc ascendisse Te, quàm, ut cujus causâ regnas, ad idem Sceptrum, eundem thronum Tecum ipso quodammodo ascendat purior, Sanctiorque Religio.

Nec sit infelici hìc auspicio, quòd *Tu*, *Paterque tuus*, reliquique boni Principes id ipsum jam fecisse videamini, quod Religioni illi asserendæ viam paret; quid enim aliud est *Exulibus Christianis* refugium præbuisse? Quid, quum, *libertatis* horum, *Edictive*, per quod *illa* conservari debuerat, nulla prorsus cura publice erat habita, jussisse nihilominus sub præsidio vestro salvos esse? Aut etiam nonne hoc ipsum id est, quod dicitur Apocal. xi. 9. *Quod videbunt è populis, è tribubus, è linguis, & nationibus cadavera Testium tres dies, & dimidium, nec tamen in sepulchris condi patientur*? Vel, quod potest esse Spitûs vitæ de Deo intraturi, quod vocis magnæ de Cœlo dicentis *ascendite huc*, magis efficax indicium, quàm auxiliatrix illa manus, quam ascensuris eis Vos jam accommodâstis?

Et perpendant nunc, qui non ita pridem *gaudebant super Testibus*, *lætabanturque*, *atque inter se tot dona mittebant*, (qui fecerunt ista, & quando, & quâ occasione, fat omnibus norum!) quid ex isto tempore, præcipuè in ipso articulo temporis post *tres eos dies*, *ac dimidium* evenerit; perpendant porrò utrum necne *quis eos perculerit*, *aut etiamnum percellat timor*? Aut si minus in re suâ perspicaces sint, circumspiciant undequaque, quæ tot mala nunc effundit *Phiala*, quæ tot ad Bella vocat *Tuba*, quid Reges pene ubique omnes, populique hodie agitant; Quis horum omnium exitus sit futurus, non ita fortean facile distinctè ariolari, sed nec ita difficile hinc conjectare, magna quædam, & nova, qualiaque nulla adhuc ætas viderat, ubi-

vis præ foribus esse; &, quorum interſint iſta maximè, viderint, qui *occiſos à ſe Teſtes* tam immodicè tum gaudebant, inſultabantque.

Quòd ſi forte ex eo tempore *ceciderit*, aut ſaltem *cadere cœperit decima pars Civitatis*, (uti prædicitur *Apocal.* xi. v. 13.) aut Civitatis illius *Capiti* contigerit caſu eodem quoquo modo involvi; Aut ſi *Reformati*, quos ſic contemnit *Otrokoſi*, *ii ipſi Teſtes ſint*, quibus dictum eſt *aſcendite huc*, aut etiam verè aſcendere cœperint; Si *Majeſtatis veſtræ*, aliorumque *Proteſtantium Principum* ſit *illa magna* Vox, per quam jubentur *aſcendere*; Quid dubitaretis ultra (*Feliciſſimi Principes*!) iiſdem patrocinari, quorum cauſam vobiſcum Deus ipſe ſuſcepit? aut quid auſpicatius eſſe poterit, quàm illa bella gerere, quæ ſucceſſu nunc continuo, lætiſſimiſque tandem triumphis deſtitui nequeunt?

Eſt, quam liber hic defendit, *æterna veritas*, nec jacuit illa uſque huc oppreſſa, quia non citiùs liberari potuit, ſed quò, (ſic regente, & dirigente omnia ſapientiſſimo, potentiſſimoque numine,) difficultates quaſcunque, ac pericula glorioſiùs tandem eluctaretur; Quòd verò per *Vos* hæc tandem eluctari cœpit, quòd, quæ tamdiu quaſi per *nubem obſcurata* latuit, in *nube quoque aſcendiſſe* dicatur, quàm auſpicatum hoc creſcentis veſtræ pariter, ac illius gloriæ pignus? quàm decreſcentis contra adverſariorum ſpei, fiduciæque certiſſimum omen?

Quo nomine, ut *Tecum* iterum ſolo loquar (*Potentiſſime Monarcha*!) Quid jam dubitaret *Majeſtas Veſtra* ſucceſſus illos urgere, qui & ipſi quodammodo properantem urgent, præveniuntque? Vis *Te* invictum? quod jam facis, cum Deo milita; nec puta laurum illi præripi poſſe, quiſquis in Miſericordiæ divinæ, Bonitatis, Juſtitiæ, Potentiæ, Veritatiſque (quarum omnium una atque eadem eſt, ac inopum, miſerorum, oppreſſorum, ejectorum, aut qualitercunque injuſta ferentium cauſa) partes trranſierit: Sit id certiſſimo ſolatio, atque gaudio, quòd defendet *Te*, quam *Tu* hic defendis, *cauſa*: Et quum jam appropinquare videatur Victoriæ dies, puta ultra, quàm, qui *Cliviæ*, *Memeloque* Regionum ac Provinciarum tuarum diſſitiſſimis finibus interjacent terrarum tractus, aut quàm potius Tuus ille tam publicus genius nullis finibus coercendus, propagandis hiſce triumphis optimè deſerviat.

Nec meliori ergo jure ſibi Te Patronum adoptat hic præſens liber, quàm, ut perluſtrato, quid ſucceſſuum *Phialæ* jam *effuſæ*, quid, *quæ* clanxerunt, *Tubæ* dederunt, (in illis enim verti Antichriſti fata hic fuſiùs oſtenditur,) quod adhuc ſupereſt ſucceſsûs, triumphique finalis cum *Sereniſſimis*, *regiſque tuis fratribus* adimplere pergas; cogitet ſo-

lùm *Majeſtas veſtra*, (utinam cæteri omnes Reges idem cogitarent,) quàm læta, quàm triumphalis, quàm Regum auribus digna illa Vox, quum dicet Vobis Veſtrum omnium Rex * *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi; Eſurivi enim & dediſtis mihi ad edendum, ſitivi, & dediſtis mihi potum, hoſpes fui & collegiſtis me, nudus, & amiciviſtis, ægrotus, & inviſiſtis me, in carcere & veniſtis ad me*! nec enim vel feciſſe hæc, minima eſt Regni illius pars; intravit jam ipſa cœli gaudia, quiſquis, quid ſit *Chriſti membris*, (quorum cauſa hæc dicuntur,) quid in his *Chriſto ipſi* ſubveniſſe rite intelligat; nec plus Ego, aliuſve quis Optimus tuus Subditus *Majeſtati veſtræ* optare queat, quàm ut eadem hìc ſemper facias, eorundem verò mercede æternùm fruaris; quod animitus precatur,

* *Matth.* 25. 34, 35, 36.

MAJESTATIS VESTRÆ

Virtutumque ac gratiarum,

quibus

tam eximiè ſplendet *Regium tuum Diadema,*

Humillimus ac *devotiſſimus Cultor.*

BENJ. WOODROFFE.

LECTORI CHRISTIANO
S.

EXPECTAS fortè jam (*Christiane Lector*) quod moris est, Tecum pauca loquar, atque ex solenni scriptorum ritû, id nunc factum excusem, quod nisi factum fuisset, non poterat excusari: sed si sit ea scribendi lex, cur ergo scribo? Equidem liberè fateor, calamum in manum lubens sumpsi, *veritatem illam* defensurus, quæ momo cuivis *os* obturare valeat; nec ergò *meo* ego ore detraham *operi illi*, in *quo* confido me, non sine divinâ ope, æquè ac gaudio perrexisse: multo meliùs idem alios præstare *potuisse* facilè concedo, sed & debuerant *voluisse*: mihi sufficit, quod *eodem syncero animo*, quo cœptum, perfectum est: quod verum omnem Christi militem decet, πόλεμον etiam ἄσπονδον Antichristo denunciare non dubito: *Meretricem* non sic depereo *Babylonicam*, ut cujus *turpitudinem* hîc tam justè exprobro, *ejus* vel *Te* vel *me* dedam Lenociniis; quæ scripsi, scripsi tanquam Judici omniscio rationem redditurus; nec vereor, quid reponat quis *verbi Divini* adversarius; *hoc* enim unicè *causam meam* stare postulo; nec video cur, quisquis *Sanctæ* hujus *Authoritati* repugnaverit, meliùs sibi, quàm, sub quo militat, * Tentatori Diabolo, per illud dudum profligato, semperque profligando, cessurum speret.

Quod mihi, cum ad opus hoc me accingerem, tot impedito negotiis, (quot sunt perpaucorum hominum,) novus hinc laborum cumulus accessit, *excusationi* saltem *aliquali* esse queat, si quid fortè uspiam minùs accuratè prosequi videar; sed nec isthinc *ullam* quæro; quum etiam *deditâ operâ* quædam præterierim; at *qualia* tamen, aut non omninò ad rem, aut ad *quæ* alibi satis, superque jam responsum esse existimabam: quippè non ità leviter, iterum, iterumque defensa est à plurimis, (quam εὐφυῶς, toties sic appellat *Otrokocsi*,) *decantata Reformatio*, ut nunc opus sit, quicquid calumniosè dixerit *quis Apostata*, sigillatim *refellere*: satis *se refellit* ipse, quisquis pro argumentorum *numero*, & *pondere*, Odium duntaxat solito gravius, Invidiam, Malevolentiam, Hypocrisin, ne dicam, *gravissimam* omnium *blasphemiam* afferet: quorum quum tam nimis manifestus sit *Foris*, quid ni, ut ad *se redeat*, moneam potiùs, quam *iisdem* cum ipso *erroribus* memet implicem.

Non quòd quicquam sit omnium, cui non sit parata responsio; sed quòd depugnato semel, quicum (eò me ducente libri ejus occatione, & argumento,) potissimùm congredior, Antichristo Magno, *facilis* alibi sit, ac *certa* victoria.

Quid, & quo ordine scripserim, ostendet hic *Subjectus Index*, & *Summa capitum*, quibus ad Calcem Libri addo MSS. illius versionem, quam p. 34. promisisse videar. Quæ te ultra scire velim, docebunt *Præfatio*, &t *Dedicatio*; nec te pluribus moror, nisi ut *veniam tuam*, in *quibus spem tuam* fallo, *Deique* in *omnibus* precer, quòd tam justam, optimamque causam tam malè defenderim. Vale.

OXONIÆ, ex *Aul. Gloc.*
XI. Kal. Nov. MDCXCIX.

INDEX & SUMMA
CAPITUM.

CAP. I.

Apoſtaſiæ Otrokocſianæ gravitate, & ſtultitiâ primùm deploratis, par. 1. *ad* 6. *Unionis cum Romano-catholicis ineundæ Obſtacula memorata p.* 7. *& leniter reprehenſa p.* 8. 9, 10, 11. *ad examen revocantur, p.* 12. *locoque Joannis, Epiſt.* 1. *c.* 4. *v.* 1. probate Spiritus, *aliquantùm excuſſo.* 13, 14, 15, 16, 17. *de* Voce interna, *unde de* Antichriſto Magno, *num* jam Veniſſet, *ac* Romæ eſſet, *accuratum inſtituendi Examen occaſionem ſumpſiſſe ſe ait Otrokocſi, necnon locis illis aliis, viz. Iſaiæ* 14. *v.* 12.—*Matthæi* 24. *v.* 45, 46, 47, 48.—51. 1 *Joan.* 4. 3. *à* par. 18. *ad* 33. *ad probandum* illum nondum veniſſe, *nec* Romæ eſſe, *ab ipſo allatis, diſquiſitio brevis.*

CAP. II.

De Voce internâ, *quam tantopere crepat Otrokocſi*; *non poſſe* illam *fuiſſe* à Deo, *ab abſurdis, falſis, impiis, incertis, frivolis, Blaſphemiſque illis concluſionibus, quæ per* hanc *illi affinguntur, à* par. 1. *ad* 24. *Adeóque non ſatis* ſanum *eſſe, qui iſtorum Deum inſimulet, & an* inſaniæ *quicquam Otrokocſi eo nomine juſtè objiciatur, à* par. 25. *ad finem Capitis.*

CAP. III.

Quis, & quando futurus erat Antichriſti ortus, *& quomodo* Romano Imperatori, *ſive* Romano Imperio *ſucceſſurus, ex Epiſt.* 2. ad Theſſalon. *c.* 2. Apocalypſ. *c.* 13. *&* Danielis. *c.* 11. *v*, 36, &c. *excuſſis, atque* inter ſe collatis *clarè oſtenditur*; *necnon quis per* Hominem peccati, *&* filium perditionis *intelligendus ſit, & quomodo uterque* ſuo tempore Romæ ſediſſe *dicatur*; *Ille* Romæ ipſi *propriè ſic dictæ, Hic* Romæ novæ; alter *in Occidente, alter in Oriente ſucceſſurus*; *atque ex eo, quod* τὸ κατέχον, *vel* ὁ κατέχων ἐκ μέσου γένηται, *quod, vel qui detinuit, vel obſtabat, tollebatur, neceſſarium eſſe, jam* Veniſſe Antichriſtum, *eſſeque, quâ ſaltem* Homo peccati *dicendus eſt*, illum Romæ *ſedentem.*

CAP. IV.

Ampliorem Antichriſti *deſcriptionem è prædictis locis ad* Theſſalon. *Ep.* 2. *c.* 2. Apocalypſ. *c.* 13. 11. &c. *&* Danielis. c. 11. 36. &c. *atque* adventûs ejus ulteriorem probationem, illi Romæ ſedenti *competere, oſtenditur*; eumque eundem *eſſe*, qui *per* Beſtiam habentem cornua decem & ſeptem capita, Apocal. *c.* 17. *ſignificatur, ortumque eundem habere, cum* Beſtiâ *aſcendente è terrâ*, Apocal. *c.* 13. *v.* 11.

CAP. V.

Præmiſſo, Tubas *fuiſſe ſub* ſigillo ſeptimo, *oſtenditur earum* tres primas *ad* everſionem Romæ *Ethnicæ*, quatuor *autem* ultimas *ad* Antichriſtum Magnum *pertinere*; *ſpecialiter ſub* quartâ Tubâ, *&* quatuor primis Phialis, *cum* illâ *contemporaneis*, illum *non* veniſſe *tantùm*; *ſed ad* maturam ætatem *perveniſſe, ex eo, quòd* Mahometanis *ſub* his *incurſiones ſuas* in Italiam &c. *facientibus, non conceſſa fuerat poteſtas invadendi ſive* Imperium, *ſive* Eccleſiam Romanam *ante* Antichriſti *adventum.*

CAP. VI.

De ſextâ Phialâ, *necnon* Tubâ ſextâ, *magnâ ex parte illi coævâ*; utramque *ad* Mahometanos, *&* Antichriſtum *pertinere*; *Et quis ſive* Phialæ illius, *ſive* Tubæ *eventus jam* fuerat, *aut ſit adhuc* expectandus.

CAP.

CAP. VII.

Nec Luthero, *nec* cuiquam *alii Reformandi* ſtudium *exprobrandum eſſe.*

CAP. VIII.

Reſponſio De ſpeciali *&* extraordinariâ Vocatione ; *necnon* Acta *&* *Scripta* Lutheri, *ab anno* MDXVII. *ad* MDXLVI. *par.* 29. &c.

CAP. IX.

Propoſitiones Lutheri de Indulgentiis.

Amore & ſtudio elucidandæ veritatis hæc ſubſcripta Themata *diſputabantur* Wittenbergæ *Præſidente Keverendo* Patre Martino Luthero, Eremitano Auguſtiniano, *Artium & S. Sanctæ Theologiæ Magiſtro, ejuſdem ibidem* Ordinario Lectore ; *quare petit, ut qui non poſſint* verbis *præſentes nobiſcum diſceptare, agant id* literis *abſentes in* Momine Domini noſtri Jeſu Chriſti *Amen. A. C.* MDXVII.

CAP. X.

Centum Gravamina Germaniæ Legato Pontificis *exhibita*; *neceſſitatem Reformationis Papa ipſe fatetur*; *de ſingulari, & extraordinariâ Vocatione ulterior diſquiſitio.*

CAP. XI.

In hoc & ſequentibus capitibus Otrokocſi formâ Epiſtolari alloquens, ad illius Argumenta ordine reſpondeo.

‘ *Secundum tuum Argumentum ex eo ductum eſt,* Cap. III. *quòd, qui* ſpecialiter à ‘ Deo mittuntur *ad Eccleſiam reſtaurandam, illi unam ex præcipuis curam hanc habent, ut pro publico Eccleſiarum bono, pacem, & unionem publicam, atque Charitatem in pectoribus fidelium generent, quod* Lutherus, ejuſque ſocii *minimè fecerunt.*

CAP. XII.

‘ * *Quòd Doctorum* ſpecialiter à Deo miſſorum *primaria cura eſt, pro privatâ uniuſcujuſque ſalute, timorem, amoremque Dei, & veram vitæ ſanctitâtom pectoribus Hominum ingenerare.*

CAP. XIII.

‘ *In quo de quarto tuo argumento,* Cap. v. *p.* 124. *ex eo deſumpto, quòd Regnum Eccleſiæ* Proteſtanticæ, *per* Lutherum, *alioſque introductum, cum magno, & valde obſervabili ſtrepitu mundano eſt ingreſſum.*

CAP. XIV.

‘ *Quintum tuum Argumentum petitur ex hoc, quod* Lutherus, *& ſocii ejus, nomine Dei* (*nt prætenderunt*) *locuti, non in omnibus docuerunt verum*; *Hoc autem probatur, inquis, inductione aliquot Articulorum, v. gr. De* ſtatu animarum poſt *mortem*; *De* Venerabili Sacramento Euchariſtiæ; *De* Regimine Epiſcopali; *De* Primatu; *De* Antichriſto; *De* Juſtificatione, &c.

CAP. XV.

De locis quibuſdam, ‘ *quæ causâ lucis, roboriſque ampliori in libri tui ſcopum, celeberrimorum duorum SS. Patrum, contra* Proteſtantium (*ut ais*) *Sectas, in medium attuliſti.*

CAP. XVI.

Epilogus Epilogo repoſitus.

ADDENDA.

Pag. 36. l. 19. post *Phialis*, adde: Sive *quartâ in solem* (cui passim *Apocalypseos Imperator* comparatur) *effusâ*, quid hanc aptiùs explicare poterat, quàm quod ab Ann. 1076. ad Ann 1347. contigit, *excommunicatis toties, depositisque Imperatoribus* ipsis, *eorumque* Dignitate ac Autoritate, *insultante Papâ*, speretâ ubique & conculcatâ? Donec *Immanitate* Scelerum *fessi Principes Imperii*, Concilio *Francofurti* Ann. 1347. Convocato, *Papæ jugum* detrectare decreverunt: *Quòd servus servorum fastû, libidineque dominandi ita insaniat, atque in præceps abeat.* Vide plura: *Fall of Babyl. p.* 105.

In sequentibus, sufficiat Erratorum loco substituisse.

PRæf. *p.* 8. *l.* 7. per *ibid. l.* 27. exultabundus. *p.* 14. *l* 9. repetitæ. *p.* 15. *l.* 28. post *scelera* dele, Libri *p.* 1. *l.* 6. I. *p.* 7. *l.* 5 ἐψεύσω *ib. l.* 35. innui pro minui. *p.* 9. *l.* 32. impugnet. *p.* 12. *l.* 5. esto. *p.* 15. *l.* 1. ultra. *p.* 16. *l.* 33. inquam. *p.* 18. *l.* 10. consummationem. *p.* 21. *l.* 8. 11. *p.* 23. *l.* 9. 18. *ibid. l.* 21. omni. *p.* 29. *l.* 37. Henricum. *p.* 35. *l.* 31. 3°. *p.* 36. *l.* 2. suis. *ibid. l.* 30. aliter. *p.* 36. *l.* 36. VI. *p.* 37. *l.* 4. invasisse. *ibid. l.* 10. quintâ pro primâ. *p.* 41. *l.* 12. murus. *p.* 43. *l.* 2. Lector pro testor. *ib. l.* 10. impletâ. *p.* 44. *l.* 25. ὁρίου. *p.* 51. *l.* 12. invitavit. *p.* 53. *l.* 22. ἀγαπητὸς. *p.* 56. *l.* 3. Augustinianæ. *p.* 70. *l.* 46. illud. *p.* 72. *l.* 13. Luthero. *p.* 77. *l.* 5. Ἰωαννείους. *ibid. l.* 15. ipso pro pro. *p.* 81. *l.* 31. regessisse. *ibid. l.* 39. conscribillandis. *p.* 82. *l.* 41. scintillas. *p.* 86. *l.* 14. ac. *p.* 88. *l.* 28. ὠκ. *p.* 89. *l.* 26. Antagonistam. *p.* 91. *l.* 37. Actor. *p.* 93. *l.* 9. Messis. *p.* 94. *l.* 32. detepente. *p.* 96. *l.* 46. σφεγγίδα. *p.* 99. *l.* 15. ἀπαρχὴ. *p.* 100. *l.* 40. Sed. *p.* 103. *l.* 46. 139

EXAMINIS
ET
Examinantis EXAMEN.

Cap. I.

Apoſtaſiæ Otrokocſianæ gravitate, & ſtultitiâ primùm deploratis, par. 1. *ad 6. Unionis cum Romano-catholicis ineundæ Obſtacula memorata p. 7. & leniter reprehenſa p.* 8, 9, 10, 11. *ad examen revocantur, p.* 12. *locóque Joannis, Epiſt.* 1. *c.* 4. *v.* 1. probate Spiritus, *aliquantùm excuſſo.* 13, 14, 15, 16, 17. *de* Voce interná, *unde de* Antichriſto Magno, *num* jam Veniſſet, *ac* Romæ eſſet, *accuratum inſtituendi Examen occaſionem ſumpſiſſe ſe ait Otrokocſi, necnon locis illis aliis, viz. Iſaiæ* 14. *v.* 12.—*Matthæi* 24. *v.* 45, 46, 47. 48.—51. 1 *Joan.* 4. 1. *&* par. 18. *ad* 33. *ad probandum* illum nondum veniſſe, *nec* Romæ eſſe, *ab ipſo allatis, diſquiſitio brevis.*

I. QUOD Servum Domini monuit olim Apoſtolus [a] ad Timotheum, ut cum manſuetudine erudiat Adverſarios, Μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ Διαβόλου παγίδος ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα. *Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad agnitionem veritatis & ad ſobriam, ſanamque mentem redeuntes, recuperent ſeſe è Diaboli laqueo, captivi ducti ad voluntatem illius*; id me ſcribentem hæc monere te, velim ſeriò cogites.

a *Epiſt.* 2. *c.* 2. *v.* 25, 26.

2. Nec enim ab omni retro Chriſtianæ Religionis antiquitate fere quiſquam eſt, quem ſic Diaboli laqueo irretitum eſſe, ſic ad voluntatem ipſius captivum duci, Viventem, Videntemque in catenas rapi, legiſſe me memini: *Simonem Magum* [b] & Elymam [c] (ut recentiores taceam) vix excipio; Quum neutrum horum, (quò magis me miſeret tui,) fidei cognitione ſic imbutum, ac Te, ſic in eâdem exercitatum, ſic in ejus cauſâ tentatum, probatumque, ſic de eâdem teſtimonium ferentem, adeóque tam egregium, ac famoſum potuiſſe eſſe Apoſtatam, agnoſcere liceat.

b *Act.* 8.
c *Act.* 13.

3. At quàm horrendum, quàm tremendum hoc Dei judicium! Te, eundem te, qui ſic aliis prædicaveras, ut non voce tantùm, ſed vitâ veritatem ſtrenuè aſſerueris; Te, qui tam inſignis Confeſſor, ac pene Martyr à fidelibus fueras recognitus; poſt tot caſus à te volutos, tot labores aditos, tot Agones pro Evangelio tam gloriosè ſuſceptos, perfunctoſque, tam turpiter [d] ἀδόκιμον γένεσθαι; nec per duram illam, quam in * Triremibus ipſis ſerviebas ſervitutem, ultra quicquam profeciſſe, quàm ut fidei ipſius, ſic etiam defenſæ, [e] *naufragium* tandem facere didiceris.

d 1 *Cor.* 9. 27.
* 11.
e 1 *Tim.* 1. 19.

4. Dolet profectò, dolet dictum hoc tam eximio Dei Athletæ; nec verò ſuſpicaretur quis, potuiſſe tam fortem Chriſti militem, ſic in Satanæ caſtra tranſiiſſe; niſi per [f] Paulum Spiritus docuiſſet, poſſe aliquem *non facultates ſolùm externas pauperibus paſcendis quàm liberaliter inſumere*; Sed & *cor-*

f 1 *Cor.* 13. 3, &c.

pus ipsum flammis devovere, nec tamen interim fervere in ipso Charitatem; sine qua nihilominus vanum prorsus, & inutile erit, quicquid hujusmodi, quantocunque aliter zelo, quàm excelso cunque ac plane exultabundo animo perfeciſſe videatur.

5. Atque utinam hîc non subverendum esset, vana omnino, & inutilia fuisse, quæ consimilia his feciſti, omnia! Utinam, (ignoscat Latina auris paronomasiæ tam futili, cui tamen ansam nimis facilem Túte præbuisti) non sic ubique lusisses operam, ut *Foris tantùm sapere*, aut, quod adhuc dictu durius est, Sensu illo, quo Ethnicos, & infideles notat [g] Spiritus S. ex iis esse, qui *Foris esse* dicuntur, *re* & *nomine Te* satis, superque probaveris!

[g] *Marc.* 4. 11.

[1] *Cor.* 5. 12. [1] *Thess.* 4. 12.

6. Quid enim aliud sibi vult, (piget quidem quòd non possum mitius quid dicere!) infamis illa, & plane inaudita Apostasia, qua, cum *Ecclesiâ reformatâ*, sobrio omni sensui, rationi, ac Conscientiæ, immò & Evangelio ipsi in integrum valedixisse censearis?

[h] *p.* 32. [i] *p.* 6. [k] *p.* 10. [l] *p.* 16, &c. [m] *p.* 31. [n] *ibid.* [o] 32.

7. Nam quid hoc minus est, non [h] *traditiones* modò, & *definitiones humanas*, [i] *Somniaque ipsa, Phantasmata, extases, admirandasque, nescio quas*, [k] *tui mutationes*, [l] *vocemque illam internam* (quam tam absurdis, impiis, blasphemisque narrationibus intermixtam Deo Opt. Max. tam familiariter affingis,) sanctæ jam fidei regulæ fidenter prætulisse? Sed in [m] *Dei ipsius cultum* Sacrilegè involare, [n] *Redemptionis universum opus* pervertere, [o] *Suamque Scripturæ sacræ Autoritatem* omnem denegare, & quò, quotquot *Errores, Hæreses, Blasphemias* in se contineant ista, simul omnes deglutias, *an qui ista te doceat Antichristus sit, an verò Magnus ille Antichristus à Scriptura, & S. Patribus, tanquam omnium Ecclesiæ hostium atrocissimus, & maxime formidandus, olim prædictus, & descriptus, omnino adhuc venerit*, in dubium, aut ne in dubium quidem vocare?

8. Reputa tecum quid de istiusmodi commentis judicasset Paulus, qui *Galatas* tantùm *Judaizantes, i. e.* ad Religionem illam, quæ primâ sui origine verè divina fuerat, & non ita pridem sola illa, & Authentica, per quam salus unicè erat consequenda, sic affatur, [p] Θαυμάζω ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον: puta Te audire illum Apostasiam hanc eodem gravi [q] anathemate bis ferientem; puta Te audire illum eosdem *Galatas* sic iterum inclamantem, [r] ὦ ἀνόητοι Γαλάται τίς ὑμᾶς ἐβάσκανεν ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι, οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος;

[p] *Gal.* 1, 6. [q] *Gal.* 1. 8, 9. [r] *Gal.* 3. 1.

9. Quis autem nisi ἀνόητος, eousque quidem *Amens, insipiensque*, veritati, pro quâ tot gravia passus fuerat; Christoque, *quem* tot fere miraculis in se, ac pro se quasi *Crucifixum* senserat; quis nisi, qui læso sit ingenio, tot præsentiæ illius manifesta, tot plane divina documenta, tot oculis, animoque obversata in se, sociisque Confessoribus cœlestis auxilii testimonia, simul, semelque sperneret, rejiceret, proculcaret?

[f] *Gal.* 3. 3.

10. Audi ergo iterum Apostolum [f] ὕστως ἀνόητοί ἐστε ἐναρξάμενοι πνεύματι, νῦν σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε; τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῇ, εἴγε καὶ εἰκῇ; tot passus es frustra, si modò & frustra? Cogita duntaxat tecum, quis Te Spiritus tum sustinuit? Quis tum illas animi vires, quis illa tot Solamina, quis illa tot gaudia, quis illas tot fidei Victorias suppeditavit, Quum tam impavidum Te, infractumque, tot clades, ac cruciatus ferirent? Credidistin' Te in carceribus ipsis tum liberum? Credidistin' quum ad remos manicis alligatus esses, *Servatoris* Te armillas

tantum

tantum magis glorioſas geſtare? Credidiſtin', quæ tum verbera, fortè & vulnera accepiſti, eſſe Domini tui honorifica ſtigmata? notaſque & inſignia corporis, lætos etiam Redemptoris ſui triumphos referentis? Credidiſtin' denique tum hæc omnia *Spiritûs* [t] *gloriæ*, ac *Dei*, (ſic de iis, qui probris affecti ſunt in nomine Chriſti loquitur Petrus) in Te reſidentis fuiſſe indicia? t 1 Pet. 4 14.

11. Oh felicem animam, quæ ſic Dominum ſuum confeſſa eſt! Sed oh potius omnium infeliciſſimam, quæ Deo ipſi, Dominoque, quem ſic prius confeſſa eſt, in his etiam omnibus, abſque pudore omni renunciavit!

12. Nam ut ad examen aliquod revocem jam nunc [paragr. 7.] memorata, cum [u] 'Illo horrore, tremore, anguſtiâ Cordis; precibus ardentiſſimis, n 17.
'gemitibus, fletibus, & ſupplicationibus; [u] luctis, [x] triſtitiâ, dolore, [y] con- u 20. 26.
'flictibus, quibus Te toties profiteris apud Deum obnixè egiſſe ut [z] ab omni x 27.
'vel minimo lapſu in fide Te cuſtodiat; repellat à Te omnes tentationes y 26.
'Diaboli, aut quaſcunque propriæ mentis vanitates, antequam jam directe z 5.
'aliquas ſuaſiones Tibi claras intra Te ſenſiſſes pro acceptanda unione, &
'Communione Romanæ Eccleſiæ; ſed (Ann. ſc. 1689.) obſervaſſes tantùm
'[a] partim facta quædam tua, partim Emblemata eò [b] Colli-
'mantia; & poſtquam per *internam vocem* [c] quaſi urgebaris,
'ut plenarium tum de re tanti momenti aſſenſum dares, ei-
'que Te accommodares, nec poſſes *Vocis illius divinæ* even-
'tum effugere, vel avertere; atque etiam poſt [d] magnum,
'primarium, vel ſolum *cogitandæ Unionis* cum Romano-Ca-
'tholicis ineundæ obſtaculum, [e] per aliquot Scripturæ loca Tibi divinitus c 16. 17.
'oſtenſa, è pectore tuo (ut aſſeris) ſublatum; Et poſt tria illa ardua, quæ d 23.
'Tibi (uti pergis) valde obſtabant etiam poſt [f] ſublatum de Antichriſto e 21, 22, 23
'ſcrupulum, contra [g] quæ Deum Tibi conſuluiſſe declaras': Ut inquam hæc f 32.
cum reliquo omni apparatu, quo Apoſtaſiæ tuæ velum obducere ſperas, g 32, 33, 34, 35, 36.
(in quo à pagina 4. ad 52. quaſi totus es) jam ad examen aliquod revocem.

a 5. 6. b *V. gr. Quod Miſſale Romanum*, &c. *Quod nocte quadam* &c. *Quod ſomnium ejuſdem temporis ejuſdemque ſcopi contigit. Quod inſtinctus quoſdam inſolitos.*

13. Quæro ex Te (Otrokocſi) quoniam à præmonitione illâ [h] Apoſtoli h 1 2 Joan. argumentum omne hic exorſus es, *viz.* Ἀγαπητοὶ μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα εἰ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν, *h. e.* dilecti, ne omni Spiritui credite, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint; *quomodo probandi ſint Spiritus, ſi ex Deo ſint?* Si Apoſtolum audies, reſpondebit ille tibi, verſu proximo, 1. 4. v. 1.
ἐ πᾶν πνεῦμα ὁ ὁμολογεῖ Ιησοῦν Χειςὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐςι, καὶ πᾶν πνεῦμα, ὃ i ib. v. 2.
μὴ ὁμολογεῖ Ιησοῦν Χειςὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔςι. καὶ τοῦτό ἐςι τὸ Ανπχείςε ὃ
ἀκηκόαἰε, ὅτι ἔρχεται, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐςὶν ἤδη. *Omnis Spiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: Et omnis Spiritus, qui non confitetur Jeſum Chriſtum in carne venientem ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſti* [Spiritus] *quem audiviſtis, quod venit, & nunc in mundo eſt jam.*

14. Vis & aliam probationem Spiritûs, ſi ex Deo ſit; audi Deum ipſum per Moſen, [k] אך הנביא אשר יזיד לדבר דבר בשמי את אשר לא k Deuter. 18. 20.
צויתיו לדבר ואשר ידבר בשם אלהים אחרים ומת הנביא ההוא׃
Veruntamen Propheta qui ſuperbe egerit, loquendo verbum in nomine meo, quod non præcepi ei ad loquendum, & qui loquetur in nomine Deorum aliorum, morietur Propheta ille. Ex eo quod loquitur in nomine Deorum aliorum, ſatis conſtat non eſſe ex Deo: quod ſi nec ſic ſatisfiat populo; quin ultra requiratur, *quomodo ſciemus verbum*, quod non locutus eſt illud

[l] *ibid. v.2.* Dominus: Subjicitur in proximis: [l] אשר ידבר הנביא בשם יהוה ולא יהי הדבר ולא יבא הוא הדבר אשר לא דברו יהוה בזדון דברו הנביא לא תגור ממנו: *Quod loquetur Propheta in nomine Domini, & non erit verbum, & non veniet, istud verbum est, quod non locutus est Dominus, in superbiâ locutus est illud Propheta, non timebis ab eo.*

15. Quod si venerit, quod locutus sit etiam Propheta iste, an pro Veridico statim erit ille habendus, tanquam qui sit à Deo? Nec id semper dandum erit; secundum quod prius habetur, [m] כי יקום בקרבך נביא או חלם חלום ונתן אליך אות או מופת: ובא האות והמופת אשר דבר אליך לאמר נלכה אחרי אלהים אחרים אשר לא ידעתם ונעבדם: לא תשמע אל־דברי הנביא ההוא או אל־חולם החלום ההוא כי מנסה יהוה אלהיכם אתכם לדעת הישכם אהבים את־יהוה אלהיכם בכל־לבבכם ובכל־נפשכם: *Si surrexerit in medio tui Propheta, vel somnians somnium, & dederit tibi signum, vel portentum; & venerit signum & portentum, quod locutus est tibi, dicendo, eamus post Deos alienos, quos non nosti, & serviamus eis; non audies verba prophetæ illius, vel somniantem somnium illud, quia vos tentat Dominus Deus vester, ad sciendum an diligatis vos Dominum Deum vestrum in toto corde vestro, & in tota anima vestra.* Tum sic pergit, אחרי יהוה אלהיכם תלכו ואתו תיראו ואת־מצותיו תשמרו ובקלו תשמעו ואתו תעבדו ובו תדבקון והנביא ההוא או חלם החלום ההוא יומת כי דבר סרה על יהוה אלהיכם המוציא אתכם מארץ מצרים והפרך מבית עבדים להדיחך מן הדרך אשר צוך יהוה אלהיך ללכת בה: *Post Dominum Deum vestrum ambulabitis, & ipsum timebitis, & præcepta ejus custodietis, & voci ejus auscultabitis, & ei servietis, & ei adhærebitis. Et propheta ipse, vel somnians somnium illud morietur, quoniam locutus est Apostasiam contra Dominum Deum vestrum, educentem vos de terra Ægypti & redimentem Te de domo servorum, ad depellendum Te de via, quam præcepit Tibi Dominus Deus tuus, ad ambulandum in eâ.*

[m] *Deut.13. 1,2,3, 4,5.*

16. Quod si sint hæ stabiles illæ, ac perennes Regulæ, quibus Spiritum omnem probari vult Deus; si quicquid Redemtionis operi per Jesum Christum perfecto, (huc enim pertinet confessio illius Adventûs in carne,) quicquid divino cultui, Legique Morali, (quò spectant illa, de loquendo in nomine Deorum aliorum & non ambulando post Deum, nec ipsum timendo, nec præcepta ejus custodiendo) contrarium sit, ad Spiritum illum referri debet, qui non est ex Deo; Non ita difficile erit, quo Tu Spiritu actus es, atque in quem scopum, quæ dixisti, & fecisti omnia tendant, dignoscere. Quanquam & fieri potest, ut Tute interim tuis somniis, falsisque Prophetiis, non minùs, quam alius quis in errorem abripiaris.

[n] *17.* 17. Et quidem in illum Te abripi quis non judicabit, qui post [n] 'tantum horrorem, tremorem, angustiam Cordis, post tot preces ardentissimas, 'tot gemitus, fletus supplicationes, post tot luctsu, tantam tristitiam, & do'lorem, tot conflictus', tentationi te pronum das, & tanquam Satanas non satis explicuisset laqueos suos, curas etiam temet irretire?

18. Testor, (ut ab uno omnia discamus) vanas illas & ancipites preces, quas semel atque iterum sic fundis, ac si Te audiri metueres; modò cum Deo expostulans, [n] 'Quomodo Tu Romanæ Ecclesiæ te adjungeres? 'Quomodo

[n] *19.*

'Quomodo ejus Communionem Tu coleres, cum hactenus firmiter per-
'suasum Tibi habueris, Antichristum illum magnum sedere in præsenti *Ec-*
'*clesiâ Romanâ*'? Modo [o] mites & lenes illas voces Tibi suggerens, '*Pon-* [o] *Ibid.*
'*tificios* non esse tam horribiles, sicut tu hactenus putasti, nec esse *Romanam*
'*Ecclesiam* ita coram Deo exosam, & abjectam, sicut Tu antehac cum ma-
'xima parte Protestantium tenuisti'; & statim post '[p] rogo itaque humillimè [p] 20.
'Te Domine; fac mecum ex tuâ misericordiâ hoc signum ad dignoscendam, &
'discernendam tuam vocem ab instinctu Diaboli, ut, si nil nisi Diaboli sug-
'gestus, & tentatio est *vox illa interna*, qua jubeor suo tempore adjun-
'gere me Romanæ Ecclesiæ, in æternum dispergе, & annihila talem intra
'me cogitationem, ne amplius me urgeat, ac vexet; si vero à Te est, il-
'lustra amplius mihi tuam voluntatem, & doce me indies magis, ac magis
'è Verbo tuo scripto, & ex S. Patribus, quid facere debeam, & quo funda-
'mento, quâve ratione id exequar, quod mihi in mente jubetur.

19. Bipedum vanissime, fili Diaboli, Tu sic *Dominum* [q] *Deum tuum* [q] *Matth.4.*
tentas? Tu illum rogas, 'ut è S. Patribus doceat te quid facere debes'? *7.*
Tu fundamentum, & rationem quæris, quî queas Deum tuum deserere? Tu
illum precaris, 'Ut è verbo suo scripto doceat; Cui jam in animo est (ut
'mox declaras) [r] hominum scripta, definitiones & traditiones Scripturæ sa- [r] 32.
'cræ æquiparare saltem, si non anteponere'? Ea quippe est hodierna Ro-
manæ Ecclesiæ sententia de traditionibus Ecclesiasticis, quam tam avidè
amplecteris.

Si Verbo scripto dirigi velis, cur non quod scriptum est, audis? [s] *Adorabis* [s] *Matth.4.*
Dominum Deum tuum, & illi soli servies: hoc qui didicit, an ille loco *10.*
'Solius Dei Religiosè colendi, [t] imaginibus, vel aliis rebus creatis proprie *Deut.6.13.*
'dictam Religionis adorationem, seu Cultum strictè Religiosum exhiberet? [t] 31.

20. Ne vero dubites vel Tu, vel quisquam alius, an Spiritus tuus non sit
ex Deo; considera parumper, an qui [u] Remissionem peccatorum, & Vitam [u] *ibid.*
æternam, aliter quàm per solius Jesu Christi merita consequendam tenet, Je-
sum Christum in carne venisse confitetur? Frustra quippe illius adventus in
mundum; frustra naturam nostram accepit ille; frustra caro factus est; [u] si [u] *Joan.1.*
ad remittenda peccata nostra, aliorum merita sufficiant, aut per alium quen- *14.*
quam Vita æterna sit consequenda.

21. Sed quoniam jubes nos, 'probare Spiritus an ex Deo sunt'; videa-
mus porrò an id ipsum, quod Tu à Deo esse dicis, examen hoc subibit?
Verba tua hæc sunt, [x] 'Dum interim sic luctarer cum Deo meo in oratio- [x] 20.
'nibus, ac gemitibus meis, monstratus est mihi (per vocem internam) locus
'*Psal.* 86. 1. cum intimatione, ut ejus sensum bene excuterem, atque inde
'tum de Antichristo Magno, num jam venisset, ac Romæ esset, accuratum in-
'stituendi examen occasionem sumerem; tum etiam ut de Ecclesiâ Romanâ
'rectum ferre judicium possem'. Verba autem loci citati hæc sunt: 'Fun-
'damenta ejus, (nempe Sionis) in Montibus sanctis; dictum hic est ad
'me *voce internâ*: Tu scis locum hunc ex Principali scopo Spiritûs S. de
'Mysticâ Sione, *h. e.* de Ecclesiâ N. Test. sonare, eâque præcipuè, qualis
'futura est ultimis temporibus, cum Ecclesia pleno frueretur gaudio; ex hoc,
'quòd non solùm Ægyptus, Babylon, Palæstina & Tyrus, sed & Æthio-
'pia in unitate Fidei adjunget se montibus sanctis, ac sine ullo Schis-
'mate,

'mate, ſerviet cum aliis Chriſtianis Domino Jeſu Chriſto; de ulteriori ver-
'borum ſenſu adjectum mihi eſt: *Scire* & illud debes, quòd per Montes
'ſanctos in allegato loco, Regna per Evangelii prædicationem, præſertim Apo-
'ſtolicam, olim Sanctificata intelligantur. Jam è numero montium illo-
'rum, quomodo excludes Italiam, & Hiſpaniam cum Siciliâ, primaria, &
'præcipua hoc tempore Romanæ Eccleſiæ hoſpitia; cum vel maximè iſtæ
'Regiones debeant hîc numerari inter Montes ſanctos, ob antiquiſſimam A-
'poſtolorum, & S. Patrum in illis regionibus prædicationem? Cum ergo
'Italia & Hiſpania cum finitimis ſint præcipui inter Montes ſanctos à Pſal-
'miſtâ memoratos in quibus dehinc Sion Myſtica, *h. e.* Eccleſiâ N. T.
'longè ſplendidiorem, ac magnificentiorem fundationem, ſeu Structuram
'habitura hîc prædicitur, quàm habuit hactenus; non eſt cur jam ita Ro-
'manam averſeris Eccleſiam, ſicut hactenus es averſatus.

22. *Deus bone*! Qualem hîc interpretationem, qualem argumentationem, futilem ſane, & diſſonam Tibi affingit ineptiſſimus ſimul, falliſſimuſque Logicaſter?

23. *Sciviſti* Tu jam locum hunc ex Principali ſcopo Spiritûs S. *de Myſticâ Sione, h. e.* de Eccleſiâ N. T. ſonare? Quid opus ergo ut hoc diceretur hîc ad *Te voce internâ*? Aut ſi ſit hoc de *Myſticâ Sione* dictum, cur in *ultimis* potiùs, quàm *primis* Evangelii temporibus, *ei* competeret? Annon tum fuit illa *Myſtica Sion*, quum Myſteria illa illic evulgarentur, quæ nomen hoc, & appellationem primariò merebantur? Quod certè contigit in primâ Evangelii prædicatione; An quum ab eodem hoc eventu loca etiam alia ſic Myſticè appellari cœperunt, oportebat *Sionem ipſam*, quæ talis primitus fuerat, nomen ſuum exuere? Aut ut pergam Tecum; cur hoc
y 21. tum magis tribueretur y Ægypto, Babyloni, Palæſtinæ, Tyro, & Æthiopiæ, quum jam adeò degenerârunt illæ à fide, (quæ Eccleſiarum iſtarum hodierna ſors eſt,) non verò quum eandem primùm amplectebantur? Quod ſi de futuris adhuc temporibus loqueris, cum Eccleſia pleno fruetur gaudio (verba tua ſunt,) 'Ex hoc quòd non ſolùm Ægyptus, Babylon, Palæſtina, & Ty-
'rus, ſed & Æthiopia in unitate Fidei adjunget ſe *Montibus ſanctis*, ac ſine
'ullo Schiſmate ſerviet cum aliis Chriſtianis Domino Jeſu Chriſto':— Quid hoc ad Romanam Eccleſiam, in quâ quicquid de Unione illius crepas, tot hodie Schiſmata ſint, tot diſſenſiones, & diſſidia?

24. Aut debet idem locus ex principali ſcopo Spiritûs ſancti *de ultimis, & primis* temporibus Evangelii intelligi?

25. Aut quoniam Eccleſia N. T. longè ſplendidiorem, ac magnificentiorem fundationem, ſeu ſtructuram habitura hic prædicitur, quàm habuit hactenus, non eſt cur jam ita *Romanam averſeris Eccleſiam*, ſicut hactenus es averſatus?

26. Imò cujus contrarium verum eſt; ſi enim *Romana Eccleſia* Veritatem detineat in impietate; ſi ſplendidior ipſi, & magnificentior fundatio & ſtructura deſideretur; ſi *ipſa* in causâ ſit, cur non ſplendor ille, & magnificentia Veræ Eccleſiæ eluceat, quidni ipſam deteſteris? Aut ſi ſplendor ille, ac magnificentia ab aliis mutuanda ſit; ſi ex hoc Eccleſia N. T. pleno fruetur gaudio, quòd non ſolùm Ægyptus, Babylon, Palæſtina & Tyrus, ſed & Æthiopia, (ut prius dictum eſt) in unitate Fidei adjunget ſe *Montibus* ſanctis;

ctis; deteſtare, deteſtare, inquam, Romanam illam Eccleſiam, quæ hæc, & quæcunque alia Evangelii privilegia quaſi ſibi uni ſacrilegè uſurpat.

27. Immò & deteſtare Te, atque hypocriſin illam Satanicam. quâ tam putida tua Sophiſmata, Spiritui S. imputare non es veritus; [a] τί ὅτι ἔθου ἐν τῇ καρδίᾳ σου τὸ πρᾶγμα τοῦτο; οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ Θεῷ: *Quid quòd poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, ſed Deo*: vel ut habetur in priori verſu, [b] διατί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίάν σε, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; *propter quid implevit Satanas cor tuum, mentiri Te Spiritum ſanctum?* vel facere tandem, ut tua ille defendat mendacia? a *Act.* 5. 4. b *ibid.* 3.

28. Sed nec hic ſiſtis; quin poſt frequentem memorati loci excuſſionem, 'Cum penitus nullum recentiorum Theologorum hac de re legeres, atque 'interim in *Clavi Propheticâ* concinnandâ procederes, ex ſolâ Scripturâ 'S. (adjutus etiam à S. Patribus) proximè ex Verſu Pſalmi paulo ante 'memorati bene excuſſo, (uſque dum ſucceſſivè alia quoque loca in hanc 'rem ſuggererentur; in primis Iſaiæ 14. v. 12. Matt. 24. v. 45, 46, 47, 48, '51. & 1 Joan. 4. v. 3.) edoctus es, Antichriſtum illum Magnum κατ' ἐξοχὴν 'ſic dictum, & à Scriptura ac S. Patribus, tanquam omnium Eccleſiæ ho-'ſtium atrociſſimum, & maximè formidandum, olim prædictum & deſcri-'ptum nondum veniſſe, ideoque Te deceptum eſſe, qui (neglecto accurato 'hujus quæſtionis examine) putaveris hactenùs, Antichriſtum illum Romæ 'præſentem eſſe; atque ſic unum magnum, & primarium, vel ſolum co-'gitandæ Unionis cum Romano Catholicis aliquando ineundæ Obſtaculum, 'è pectore tuo ſublatum eſt.

29. Quàm bene excuſſeris memoratum locum Pſalmiſtæ, lectori æquo ex jam hic ſupra dictis judicandum relinquo; quámque bene loca hæc excuſſurus ſis, ex Contradictiunculâ ſaltem illâ, 'quâ ex ſolâ Scripturâ, (ad-'jutum etiam a S. Patribus) edoctum eſſe Te Antichriſtum illum magnum 'nondum veniſſe dicis', præſagire liceat.

De quibus, quàm fieri poteſt, breviſſimè dicam.

30. *Primus locus* eſt Iſaiæ 14. v. 12. אֵיךְ נָפַלְתָּ מִשָּׁמַיִם הֵילֵל בֶּן שָׁחַר *Quomodo cecidiſti de Cœlo, Lucifer, fili auroræ, rejectus es ad terram debilitans gentes!* Quibus verbis, quid aliud intelligi poteſt, quàm graviſſimus illius lapſus, quemcunque Metaphora illa deſignat? & quem exinde nunc formabis ſyllogiſmum? nimirum talem, aut nullum?

31. Lucifer filius auroræ, per quem minui debet Antichriſtus, cecidit de Cœlo, rejectuſque eſt ad terram, *h. e.* aboletur, periit, occidit; ergo nondum venit: Simili illatione concluſerit quis, ex illis textibus, [c] *Babylon cecidit, cecidit*; [d] *Babylon cecidit, cecidit, magna illa civitas*; & iterum, [e] *Babylon illa magna cecidit, cecidit*; ergo nondum extiterat. c *Iſaiæ* 21. 9. d *Apocal.* 14. 9. e *Apocal.* 18. 2.

32. *Secundus locus* eſt [f] *de ſervo illo fideli & prudenti illic memorato*; *quem* ſi *talem* eſſe innueres, *qualis* nunquam poterat degenerare, aut ſaltem nondum degeneraverat, (nec enim niſi id ſupponas, quicquam hic moliris,) malè quidem adjunxiſti quod ſequitur de *Servo nequam*, ejuſque *juſtiſſimâ pœnâ*, καὶ διχοτομήσει αὐτὸν, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει, *quaſi quem divideret Dominus, daretque ei partem cum hypocritis, ubi fletus erit, & ſtridor dentium.* f *Matt.* 24. 45, 46, 47, 48—51.

33. Quo-

33. Quomodo autem hinc edoctus esses, Antichristum illum magnum nondum venisse, non satis conjicere queam; nisi id ex eo inferri velis, quòd nondum suppliciis omnibus, quæ meruit, gravissimis, satis mulctatus sit *Romanus Apostata.*

34. *Tertius locus* est, *quem* tibi ab *internâ voce* in hanc rem suggeri dicis, 1 Joan. 4. 5. *dilecti, ne credite omni Spiritui, sed probate Spiritus, an ex Deo sunt.* ὅτι πολλοὶ Ἀντίχριστοι ἐξεληλύθασιν εἰς τὸν κόσμον, *quoniam multi Antichristi exierunt in mundum*; Et quid inde deducis? Ergo *Antichristus* nondum venit.

35. Sed de *Antichristo illo Magno*, inquies, lis est, non de quovis Antichristo; An verò ergo ex hoc capite probas *hunc* nondum venisse? nihil minus: Verba enim diserta sunt, v. 3. καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου, *& hic est Spiritus Antichristi*, ὃ ἀκηκόατε, ὅτι ἔρχεται, καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη, *quem audivistis, quòd venit, & nunc in mundo est jam.*

36. Venisse *Antichristum illum Magnum* ex illo textu non suscipio probandum; nec Tu certè ex illo probabis non venisse; Spiritum ejus jam tunc venisse ex Verbis tuis certum est, *i. e.* eundem Spiritum, qui quandocunque *Magnus ille Antichristus* venerit, in ipso operabitur, jam tum prodiisse in Mundum, non erat dubium; quando verò *Antichristus ille* venerit, non dicit textus, nec aliter quàm per *internam tuam vocem, vocem* illam, quam præter Te nemo unquam exaudivit, aut intellexit, subaudiri hoc Tibi ipsi hìc persuadebis; nisi id fortè Spiritui etiam Sancto hìc tribui debeat, quod habetur ad *Thessal.* 2. c. 2. v. 11. καὶ διὰ τοῦτο πέμπει αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει, ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύοντες τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ, *Quapropter mittet illis Deus Operationem Impostura, ut ipsi credant mendacis, ut damnentur omnes, qui non credunt Veritati, sed oblectantur in injustitiâ*: inter quos ne Te diutiùs relinquam, nec Te fallat ultra *Vox illa interna*, unde Te hæc [g] omnia hausisse profiteris, detur mihi venia, dum

g 23.

37. 1. Sive ex prædictis illis locis constet, necne *Antichristum nondum venisse, externâ jam Voce*, i. e. *Scripto Dei Verbo*, reverà *venerit*, necne, ostendam; Idque sic

38. 2. Ut præter *illum Romæ sedentem, cuiquam alii* id ascribi nequeat; quod, (ne nos longis ambagibus, & multiplici rerum varietate implicemus,) capite tertio distinctiùs dicetur.

Cap. II.

De Voce internâ, *quam tantopere crepat* Otrokocsi; *non posse* illam *fuisse* à Deo, *ab absurdis, falsis, impiis, incertis, frivolis, Blasphemisque illis conclusionibus, quæ per* hanc *illi affinguntur, à* par. 1. *ad* 24. *Adeóque non satis* sanum *esse, qui istorum Deum insimulet, & an* insaniæ *quicquam* Otrokocsi *eo nomine justè objiciatur, à* par. 25. *ad finem Capitis.*

1. ANtequam vero isthuc pervenire possumus, de *internâ illâ Voce*, cujus toties mentionem facis, per *quam* [h] Deum dicis electis suis subinde loqui, idque *Augustini, S. Gregorii, Thomæ à Kempis, & Sacræ ipsius Scripturæ*

h 23.

Scripturæ Autoritate confirmatum dare ſperâſti, pauca Te rogatum velim.

2. 1. An hæc erit *illa interna Vox, quæ* Deum apertè blaſphemat?

3. 2. An *hæc Deo vox accepta referetur, quæ* omnem erga ipſum, legemque illius, ac Cultum, Reverentiam prorſus adimit?

4. 3. An *hæc illa vox ab illo derivata*, quæ 1.[i] pro 'Deo ſolo religiosè i 31.
'adorando, imagines, creataſque res? 2. Pro meritis ſolius Jeſu Chriſti ad
'conſequendam remiſſionem peccatorum, & Vitam æternam, merita Sancto-
'rum ſubſtituit? 3. Hæc *illa vox cœlitus dimiſſa*, quæ cum Scripturâ ſacrâ,
'hominum ſcripta, definitiones & traditiones conciliat? *Hæc illa vox*, quæ
'[k] hæc & alia quæcunque *obſtacula*, *quæ* aliquem Tibi ſcrupulum hîc move- k 34.
'rent, (uti ſtatim ſubjicis,) ſic protenus amoliri jubet? An *ſit, necne*, magis adhuc docebunt nos ſequentia: Sic enim *conſulentem Tibi Deum* infers.

5. 'Notum tibi eſt bene Epiſcopum quendam *Tiniensem* Romanæ Communionis', nomine *Chriſtophorum*, (quum Tu proximè ſubjungis, Te tunc adhuc ignorâſſe factum jam fuiſſe Epiſcopum,) Scripſiſſe Ann. 1681. &c.

6. An verò Deus non noverat Te ignorâſſe, qui tamen, ut ipſe aſſeris, *notum tibi eſſe bene* declarat? Vel ſi neceſsarium erat, ut hoc *reſcires*, an nec *revelâſſe* poterat?

7. Sed pergis tamen *Dei*, (uti perſuaſum eſse velis,) *verbis*; 'Annon Vir ille ſatis placidè, piè, & Chriſtianè in ſuo illo ſcripto loquatur? Et an-
'non ejus monitum, quo invitat alios modeſtè ad Unionem Chriſtianam, di-
'gnum ſit conſideratione, ut omnino, quicunque dona habet cœlitùs in
'hanc rem, ſerió laboret in conciliandâ, (viâ legitimâ,) inter Chriſtianos
'pace Eccleſiaſticâ?

8. An ergo ſic ſolet, quæ velit Deus, commendare, tanquam ab humano ingenio, aut conatibus, Veritatis divinæ vis, & laus penderet? Eſtne dignum illius Majeſtate, monito hujuſmodi Autoritatem ſuam niti velle?

9. Quin addis ſtatim: 'Præterea de Cultu imaginum, & Invocatione
'Sanctorum, (tanquam quod ſuggeſerat *Vox eadem interna*,) noſse Te Docto-
'rum Romano-catholicorum ſententiam, ea non eſse neceſsaria ad ſalutem
'Dogmata, ſed liberæ tantùm pietatis, & hoc maximè requiri, ne quis eos
'averſetur, & hoſtiliter impugnent, qui illa juxta mentem Romanæ Eccleſiæ
'in uſu habent; cui confirmando adjicis Verba Maſenii (è Soc. Jeſ.) Con-
'cord. Med. part. III. ed. Col. 1661. art. 24. de Imag. p. 159. Si aliò
'fine Imagines Chriſti, Sanctorumque à ſe amotas nolint Proteſtantes, quàm
'ne per imbecillitatem phantaſiæ ſuæ in Idololatriam incidant, omittant
'ſanè, negligantque, & ſoli ſeſe Deo honorando, colendoque ex animo im-
'pendant, ſic etiam nobiſcum facient, modò illos qui citra Idololatriam his
'utuntur, non rejiciant', & part. II. p. 80. *idem* de Sanctorum Invocatione ſcribit; 'libera hæc pietas eſt; conſulitur, non præcipitur, ſuadetur Ex-
'emplis' non imperio. Atqui aliter cenſebit, qui ex mente *Conc. Trident* Sanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe leget. *Conc. Trid. t. 14. p. 945.*

10. An ergo Traditionum quoque Eccleſiaſticarum liber uſus? quum eodem Anathemate violatio harum feritur? Scriptúræque ſua Autoritas tantùm conſtat ex Autoritate, & Conſenſu Patrum? Videas ergo, qui hæc libera eſſe dicis, Deúmque idem dicentem introducis, quænam ultra ſubſequitur

ſanctio: ‘Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ Voluntatis, & ‘mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſiquis autem hoc at- ‘tentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, [l] *Conc. Tri. 14. p. 946.* ‘& Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum: [l] Conc. Trident. ſub ‘Titulo, Forma profeſſionis Fidei.

11. Pudet ſane pigétque hoc *Dei nomine & voce à* Te dici, quaſi non notum eſſet illi hanc eſſe Romano-catholicorum ſententiam, quum ſic uti jam nunc oſtenditur, ex Decreto Tridentino planiſſimè conſtat; Concilio, inquam, Tridentino, quo nihil magis Authenticum in hac causâ afferri po- [m] *p. 945.* teſt; ut ibidem etiam ulterius patet his Verbis: [m] ‘Similiter, & conſtanter ‘teneo, ſanctos unà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos ‘eſſe, eoſque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe ve- ‘nerandas; firmiſſimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, ‘necnon aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum ‘honorem, ac Venerationem impertiendam.

12. Et ne quis jam fallat ſeſe, credens non haberi hæc Dogmata ad Vitam neceſſaria, conſulantur ipſa verba *Bullæ ſuper Formâ juramenti profeſſionis Fidei*, quæ hæc ſunt. [m] ‘Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam [m] *Conc. Trident. t. 14. p. 946.* ‘nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor & veraciter ‘teneo, eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum Vitæ Spiritum ‘conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retineri, confiteri, atque à meis ſubditis, ‘vel illis quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & ‘prædicari, quantum in me erit, curaturum Ego idem *N.* ſpondeo, voveo, ‘ac juro, ſic me Deus adjuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.

13. An hæc ſunt ‘liberæ pietatis, & hoc tantùm maxime requiritur, ne ‘quis eos averſetur & hoſtiliter impugnet, qui illa juxta mentem Eccleſiæ ‘Romanæ in uſu habent’? aut hæc putas neſciviſſe Deum, cujus nomine tam ſtrenuè iſta aſſeruntur? aut quoniam ad illam juramenti formam perventum eſt ſcilicet, ‘Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia’: cogitare poteris illos Deum adjuturum, illis ſancta Dei Evangelia quicquam profutura, qui quicquid in Deo ipſo, aut Evangeliis ſanctum eſt, adimunt, proſtituunt, profanant?

14. Oh dementiam hominis Vafri, & nec ſibi unquam conſtantis, ſed nec Deum ipſum Veritati ſuæ conſtare pariter permittentis! immò contra ſe, Veritatemque ipſam ſic arguentem inducentis!

[n] 31. [o] 31. [p] 32. 15. Tu ergo ob memorata tua obſtacula, (nimirum [n] 1. de Deo ſolo re- ‘ligiosè adorando. [o] 2. De remiſſione peccatorum & vitâ æternâ per ſolius ‘Chriſti merita conſequendis. [p] 3. De Scripturâ ſacrâ Hominum ſcriptis, ‘Definitionibus, & Traditionibus ſuperiori habendâ.) Non debes adeò ‘abhorrere à Romano-catholicis, ut iis impeditus penitus fugias eorum ‘Communionem.

16. Miram verò & juſtam ſequelam! & quæ ſatis oſtendit, qualis ſit illa Communio, ad quam tranſis, cui non niſi per tot mendacia, & contradictiones ſit aperienda via! Divinam verò ſapientiam ſic deceat arguere? aut quò peccatori ſe commodiùs inſinuet, ex utrâque parte prævaricari?

17. Quid enim aliud volunt ambigua illa verba, quæ ſequuntur? ‘Quic- ‘quid jam vides clarè, & diſtinctè ex Scripturâ, & S. Patribus, aliter quàm ‘antea

‘ antea videbaris tibi vidiſſe, id omne, occaſione datâ, candidè fatearis co-
‘ ram Eccleſiæ Romanæ Doctoribus, & dum res ipſa exiget, coram orbe
‘ Chriſtiano ; quicquid autem Tibi adhuc ſecùs videtur, ex Scripturâ & S. Pa-
‘ tribus quàm hodierni Romano-catholici tenent, aut videntur ſibi tenere (ut
‘ in ſupra memoratis tribus punctis, ceu maximis coram Te Obſtaculis,& in a-
‘ liis quoque, quæ aliquem Tibi ſcrupulum hìc moverent,) in omni eo pa-
‘ cificum Te in ſancto ſilentio, paratúmque ratiocinationes tuas fidei ſub-
‘ dere demonſtrato ; & qui in illis diverſum à Te ſentiunt, Eccleſiæ tamen
‘ Catholicæ antiquam unitatem tenent, illos tanquam fratres & Chriſti mem-
‘ bra, ſine ullâ averſatione dehinc habeto, & venerator, ignorans quomodo
‘ Deus in illorum etiam pectoribus, qui videntur Tibi à S. Patribus diſſentire,
‘ ſalutem operetur.

18. Quod huc redit denique, ſi Scriptura & S. Patres cum Romano-catholicis ſentiant, tum Tu cum Scripturâ & S. Patribus ſentias : ſi Scriptura & S. Patres cum illis non ſentiant, nec Tu cum Scripturâ, & S. Patribus ſentias : immò tam ſacra ſit Romano-catholicorum Autoritas, ut ſi tantùm videantur ſibi tenere quicquam, in omni eo caveas, ne vel hiſcere contra, vel mutire audeas, quin in *Sancto ſilentio* Te contineas; denique nuſquam Te deſerat Chriſtiana charitas, ‘ quin qui diverſum à te ſentiunt, fratrum
‘ tamen & membrorum Chriſti honore eos digneris.

19. Vah callidum Conſilium ! O ſecurum Eccleſiæ Romano-catholicæ ſtatum ! rectè an falſò, Tecum an contra Te, cum S. Patribus, an contra illos, cum Deo ipſo, & ſacro ipſius Verbo, an contra ſentiant, perinde eſt, modò cum illis, (qui, prout res nunc ſe habet, pauciſſima bene ſentiunt,) Romano-catholicos volo, non vereantur conſentire.

20 Sed pergis porro : & ſic Te ultra alloquentem Deum aſſeris, ‘ in ſum-
‘ mâ, conteſteris ſuo tempore Te jam in articulis fidei omnia illa tenere
‘ (quantum Tu hactenus edoctus es,) quæcunque olim S. Patres, celeberrimi
‘ nempe Eccleſiæ Doctores S. Irenæus, Cyprianus, Athanaſius, Ambroſius,
‘ Auguſtinus, & ſimiles tenuerunt ; Te deteſtari hodierna ſchiſmata inter
‘ Chriſtianos, Téque revera eſſe Catholicum, quâ jam vides, & tenes ex Scri-
‘ pturâ, & S. Patribus Catholicam veritatem, hodiernis ſciſſionibus contra-
‘ riam, ac per hoc in omnibus Eſſentialibus fidei Romano-catholicæ articulis,
‘ idem cum Eccleſiâ Romanâ tenentem, ac interim in minoribus quoque
‘ Veritatem indies quærere paratiſſimum ; velle Te libenter pacem, Unionem,
‘ atque intimam etiam communionem inire cum eâdem Romanâ Eccleſiâ, &
‘ alios quoque tuos conſortes, ad eandem pacem invitare, in his terminis Te
‘ ſtatuens (ubi tempus à me præfinitum aderit) offer Te ipſum reconcilian-
‘ dum Romanæ Eccleſiæ, ejuſque Doctoribus, inſtans modeſtiſſimè, ac hu-
‘ millimè,ut Te tanquam hominem à prioribus diſſidiis divinitùs avocatum, &
‘ pacis Catholicæ ſtudioſiſſimum, in ſuum gremium recipiant : experieris
‘ cum hac mente pacificâ, Romanam Eccleſiam eo Te affectu excepturam,
‘ quo docet piam, prudentem, & ſanctam Matrem. Tuum erit in omnibus
‘ Te docilem exhibere ; in Spiritu modeſtiæ, ac pacis Veritatem amplius
‘ inquirere ; ſic Deus ſuccurret Tibi in iis etiam, in quibus S. Patres viden-
‘ tur aliter ſentire, quàm hodierna Romana Eccleſia ſentit : atque ſic diſces
‘ cum tempore, quàm magna Veritatis Myſteria in iis lateant, quæ maximo-

'pere Te hactenus ab Ecclesiâ Romanâ præsenti abhorrere fecerunt. Si 'quid difficultatis Tibi in Principio sancti hujus propositi aperiendi occur-'rerit, ne eo terrearis; sed constans sis in tam bono consilio saluberrimæ 'pacis semel in animum admisso, consiliumque hoc deduc in effectum, ubi 'ad hoc tibi desiderata dabitur occasio. Esto Vir fortis; experimento disces, 'Deum Tibi benignè affuturum.

21. Et Ego pariter Tibi idem præsagirem, sed non nisi rejecto, quod hic crepas, illique imputas, Consilio; non nisi rejectâ, quam tam scitè adornâsti fabulâ; non nisi gloriâ Deo Veritatis datâ, fallaciisque illis, & mendaciis, quorum Spiritum S. tam fidenter insimulas, retractatis, summaque cum humilitate, & verâ pœnitentiâ expiatis.

22. Nam quid est omne hoc arguendi genus, nisi mendaciorum fallaciarúmque rudis & indigesta moles, vix hominum quoquam prudente, mentisque compote, quanto minus digna Deo ratiocinatio!

23. Et quis unquam ad opus aliquod *divinitùs* evocatus, tam lento, tamque suspenso gradu processit? Rogo Te, Otrokocsi, an tum quum primò reveletur Veritas, amplectenda sit, necne? aut etiam Deo ipso scrupulos omnes eximente, an non tradere nos actutum debeamus Veritati? aut sine peccato etiam possimus ultra deliberare, quum constet, quæ sit Dei Voluntas? at hoc Te Deo ipso Authore fecisse profiteris. Unde non dubito jam reponere, non fuisse, non esse potuisse *hanc*, quam simulas, *internam Dei vocem*; nec Tibi omnino locutum esse Deum, quum fieri non potest, ut alio ille nos tempore, bonos, pios, fideles, orthodoxos esse, quàm præsenti velit: Qui Te vocat hodie, non patitur, nedum jubet, ut in crastinum deseras;

q *Psal.* 95. 7, 8. q *Hodie si vocem ejus audiveritis, ne obdurate vos ut in deserto*: Audi Apostolum, r ὅτε εὐδόκησεν ὁ Θεὸς ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοὶ, ἵνα εὐαγγελίζωμαι αὐτὸν

r *Galat.* 1. 15, 16. ἐν τοῖς ἔθνεσιν, εὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, *Quum placuerit Deo revelare filium suum in me, ut prædicarem illum in Gentibus, statim non acquievi, non apposui, non dedidi me carni & sanguini.* Nihil de alio tempore, nihil de morâ, & ulteriori deliberatione meditabatur Apostolus, sed se simul, ac semel sacravit Evangelio.

s 34. *l.* t 36. 24. Ut ergo s *suo tempore*, t *cum tempore*, *desiderata occasio*, & similia, missa fiant, quæ ad Deum certè impiissimè referuntur; si Deus non sit hæc locutus, si confusa, absurda, falsa, ac contradictioria sint, si peccatum implicent, quæ ipsi tribuis, (hæc enim singula possem hinc facilè demonstrare,) non vana modò & inanis, sed profana, & sacrilega erit hæc tua tam insolens Ostentatio.

u *Act.* 26. 24. 25. Dixit olim Festus Paulo, u μαίνῃ Παῦλε, τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει. *Insanis, Paule, multæ Te literæ ad insaniam convertunt*: Utinam non deteriorem insaniæ causam in Te cives tui observâssent, utinam deteriorem ejus causam Túte hìc non prodidisses.

x *p.* 7. 26. Nam ut omittam, quam ipse suspicionem adversus Te moves, 'in al-'loquio tuo ad Protestantium Spirituales directores'; ubi dicis, 'non pu-'dere plurimos illorum spargere de Te, quasi Tu, qui celebris quidem 'ipsorum confessione inter illos fueras, nunc jam insanus factus sis, ac ideò 'sic delires; à quâ ut Te purges, provocas ad opera tua, imprimis hoc 'ipsum, quod hìc edis; quæ illos legere diligenter, & cum recto judicio,

'atque

'atque inde noſcere rogas, an delirus, (ne dicas ſciolus aliquis irriſor, ac 'ſibi placens,) poſſit ſimilia illis edere opera, quæ Tu ab illo tempore aut 'edidiſti, aut edis indies, à quo illi hoc Te figmento diffamârunt:

27. Et ad idem præſens opus provoco Ego, ut, quod inſaniæ ſaltem proximum eſt, in Te deprehendam. Eò ſaltem facit, quòd Deo ipſi in ſuperiori illâ narratione jam modò excuſsâ, non dubitabas imputare; & quò tuo ſolius contra Te teſtimonio utar, quod p. 10, 11. 'affers de admirandâ illâ 'mutatione, quæ Tibi ex improviſo ad tempus ſupervenerat; præprimis 'ex eo, quod omnis tuus affectus ergo familiam, ſignatè erga Uxorem, præ-'ter, & contra omnem tuam præcedentem conſuetudinem, & intentionem, 'ſubitò, fortiſſimo in illâ extaſi inſtinctu mutatus, talis debebat eſſe, qualis 'eſt eorum, qui poſthabitis ſuis, ad ſolitariam, & auſteram Vitam ſe devo-'verunt, vel diſpoſuerunt.

28. Quomodo Te ad ſolitariam, & auſteram Vitam devoviſti, vel diſpoſuiſti (quanquam id ipſum aliquando Phrenetici ſit, aut Melancholici) neſcio an ex triplici connubio, & aliis ſeculi præſentis curis probari velis; nec quomodo affectus tuus erga familiam, ſignatè erga uxorem mutatus ſit, nec quâ de causâ uxores ipſas toties mutaſti, minus curiosè rogo; quum quædam ſint, quæ præſtat neſcire; ſed rogo tamen, ſi fortè quis plateas nudipes circumcurſitaret, tegique ipſe veſtibus ordinariis recuſaret; Si quis pulcherrimas ac tenerrimas filias in ſylvas, aut deſerta educeret, & tanquam agreſtis fugeret ſocietatem omnium, præterquam ferarum; præcipuè, ſi ſuſpicio aliqua foret, *domeſticis* illum *furiis* agitari, ſive *Zelotypiæ* fuerint *iſtæ*, ſive *incontinentiæ comites*, vel quacunque aliâ de causâ, ſive ab uxore, ſive ut ita dicam, à ſeſe ipſo, uſitatoque & ſobrio vivendi more divortium aliquale ſimul fecerit, annon hæc pro indiciis mentis emotæ, ſaltem non prorſus ſanæ, aut ſibi conſtantis haberentur?

29. An hæc ſingula, aut hujuſmodi aliquid Gyongyoſini, vel Caſſoviæ contigerit, Tibi, tuiſque popularibus, quàm mihi magis notum eſt; id tantùm ex his & ſuperioribus colligo, non ita facile Phreneſeos omnis ſuſpicionem dimoveri poſſe.

30. Et verò neſcio quid Tibi in hac re fauſtius, feliciuſque contigiſſe poterat, quàm ut amicis tuis Apoſtaſiam tuam tam efferatam, & pluſquam vulgarem amentiam excuſare volentibus, Phreneſis iſta in Apologiam cedat.

31. Nam ut ad opera tua redeam, (quæ ipſe putas eſſe tam juſta ſani animi ſpecimina,) imprimis ad hoc ipſum, quod nunc edis; Vereor ne non modò *metas ſanctæ ſobrietatis* hic Te tranſiliiſſe, ſed &. vix omnino ſanum, ſanctúmve eſſe nimiùm conſtet.

32. Et quidem, videas, quæſo, *an ſancti viri*, ne quid ampliùs dicam de moribus aliis, de arbitrario Uxorum repudio, déque Connubiis levi aliquâ de causâ ſpretis, aut repetitis, quæ certè apud nos hic in Anglia, (quicquid alibi ſentiant nonnulli,) inter infamiæ cauſas haberentur; videas, inquam, *an ſancti Viri ſit*, tam leviter, tam nugosè, tam fere nullâ de causâ Deum alloquentem, de minimis etiam rebus conſulentem, immò ultra, citraque diſputantem introducere? An eundem Maximum, juſtiſſimum, ac ſapientiſſimum Deum, mendacia, aut peccata dictantem inſimulare? An demum *ſancti Viri ſit*, quoties ipſi deficiant argumenta, quibus Opinionem ſuam, aut praxin

praxin defendat, numen ipsum sanctissimum, quasi nescio quem Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς devocare, ut sive somnium ut ut vanissimum, sive Lucem internam, sive Visionem, sive etiam Ecstasin aliquam levitati suæ prætexere lubet, semper paratus ille in subsidiis sit; quasi nulla scriptæ legis, nulla fidei, ac morum regulæ jam traditæ habenda esset ratio, sed ad extraordinaria hæc, idque sine *speciali aliquâ, & extraordinariâ vocatione*, (quam in aliis satis exigis,) protenus confugiendum.

32. Sed nolo Tibi hinc odium, atque invidiam, (quibus hìc Te plus satis exponis,) conflare; nec velim etiam animi tui sanitatem in dubium vocare; utinam Túte extra dubium reliquisses; Utinam necessitas quædam non mihi incumberet, de hac dicendi, à Te ipso imposita.

33. Sed videas ergo, an pariter sani sit, atque illæsi ingenii, (non Te jam ad pruinam, & nives nudum mitto,) Phantasmati omni Deum præsentem simulare, & 'sive verum, sive falsum, sive quod Romano-catholici tenent, sive 'quod videntur tenere, quicquid infirmi homines sentiant, præcipuè in supra 'memoratis tribus punctis, ceu maximis coram Te Obstaculis, & in aliis quo-'que, quæ aliquem Tibi scrupulum hic moverent', quicquid est scilicet absurdi, Contradictiorii, impii, blasphemi, quod gens illa tenere queat, pro imperio postulare, ut in omni eo pacificum se quisquam gerat in *sancto silentio*, paratumque ratiocinationes suas fidei subdere demonstret.

34. Proh *Sanctum silentium*, quod sic profanissima quæque foveat! Proh pulchram fidei Victoriam, cui sine ullâ aversatione, sine ullâ examinatione, aut probatione gloriosè quidem erit cedendum!

35. Pudet, tædetque Cramben tam fastidiosam reponere; 'legat quis tan-'tùm diligenter (verbis tuis utor,) & cum recto judicio, tua opera', imprimis divinam scilicet hanc narratiunculam (summo enim numini tanquam ab ipso immediatè dictatam tribuis,) à p. 32. ad 36. & cedam Tibi causam, si non credat in Te quadrare, quod Poeta dixit,

——— dicisque, facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

y *Alloquis ad Protest. p. 7.*

36. Sed est, quo Te probè excusatum putas, his Verbis; y Sentio, Ego 'fateor, multis jam annis incessanter onus grave infirmitatis ab Adamo con-'tractæ, atque cum intimo cordis dolore gemo subinde sub potenti manu Dei 'me premente, habeoque frequenter repetendum illud Prophetæ; z *Iram*

z *Mic. 7. 9.* '*Domini portabo, quoniam peccavi ei*, &c.

37. Sed quid hoc ad levandam insaniæ maculam? quis non infirmitatem ab Adamo contractam sentit? nec ergo statim *Amens*, & *insanus* habetur; nec Ego cupio hanc tibi inurere; nec quomodo hoc in ludibrium alii vertunt, omnino intelligo; id tantùm optarem, quòd Tu Te non ludibrio exposuisses; quòd nec 'mutatione Tui tam admirandâ, Tibi ex improviso ad 'Tempus superveniente, nec *somniorum*, *Vocis internæ*, aut *Ecstaseos* deliriis, nedum absurdis, impiis, blasphemisque narrationibus, quas p. 32, &c. & alibi Deo affingis, rumori hujusmodi ansam præbuisses.

38. Sed sis ergo *sanus*; sint, quæ edis, omnia, quibus delirus quis similia nequit edere; ingenium & acumen (nec enim quicquam detrahere Tibi

Tibi velim, quo Tu Te dignum putas,) uſque referant; at quid utlra ſublimior tua, (ut Tibi videtur,) indoles, quid tot argumenta malè, ne dicam invidè, & malignè conſarcinata convincent ultra, quàm (quò ſummum Tibi honorem, laudemque ſcriptorum tribuam,) ut *cum ratione inſanire videaris*?

39. Quod an vel eouſque Tibi competat, quò jam luculentiùs conſtet, pergam nunc ad caput illud, quo me de *Antichriſto Magno, an venerit, necne, & Romæ ſederit*, dicturum ſum pollicitus; ut pateat, quàm *ſanus Ille ſit*, qui *ingenium omne ſuum* in eo ſcilicet exercuerit, ut ad *Tale ſe caput* pertinere probet, quali quaſi *paralyſi extremâ* concuſſo, nihil jam fere vitæ reliquum eſt, niſi ut ſe ſentiat mori; nec enim vereor hoc de *Antichriſto minus* fidenter pronunciare, quàm illum *Romæ ſedentem, eſſe Antichriſtum.*

Cap. III.

Quis, & quando futurus erat Antichriſti ortus, *& quomodo* Romano Imperatori, *ſive* Romano Imperio *ſucceſſurus, ex Epiſt.* 2. ad Theſſalon. *c.* 2. Apocalyps. *c.* 13. & Danielis *c.* 11. *v.* 36. &c. *excuſſis, atque* inter ſe collatis *clarè oſtenditur*; *necnon quis per* Hominem peccati, *&* filium perditionis *intelligendus ſit, & quomodo uterque* ſuo tempore Romæ ſediſſe *dicatur*; *Ille* Romæ ipſi *propriè ſic dicta, Hic* Romæ novæ; alter *in Occidente, alter in Oriente ſucceſſurus*; *atque ex eo, quod* τὸ κατέχον, *vel* ὁ κατέχων ἐκ μέσου γένηται, *quod, vel qui detinuit, vel obſtabat, tollebatur, neceſſarium eſſe, jam* Veniſſe Antichriſtum, *eſſeque, quâ ſaltem* Homo peccati *dicendus eſt*, illum Romæ *ſedentem.*

1. VEnturum fuiſſe *Antichriſtum Magnum* ſatis clarè prædicit Apoſtolus ad *Theſſalonicenſes* Ep. 2. c. 2. Nec quiſquam fere dubitat ad *Apoſtaſiam* ejus, quæ illic à v. 3. ad v. 12. dicuntur, pertinere omnia; Nec minùs huc referri debere, quæ habentur *Danielis* 11. à v. 36. ad 40. licet hìc alii aliter ſentiant, auſim ſtatuere; uti etiam quæ leguntur *Apocalypſeos* 13. à v. 10. ad finem capitis. Nec hoc fortaſſe negabit Otrokocſi, id tantùm contendens, nondum impleta eſſe, quæ illic prædicuntur; An verò impleta ſint, necne, quò nunc æquus lector judicet, de locis his ſigillatim dicetur.

2. Et primò quidem, quantum ad contextum illum ad *Theſſal.* Ep. 2 c. 2. v. 3, &c. *Antichriſtum* illic deſcribi, licet *ipſum* Apoſtolus non diſertè nominet, *una* pene omnium *Vox eſt.* Audiamus Apoſtoli verba; μήτις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ κατὰ μηδένα τρόπον, &c. *ne quis vos quoquam modo ſeducat,* ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος, &c. *Quoniam ſi non venerit primum inſignis illa diſceſſio,* (ſic enim, ut reddatur, poſtulat Emphaſis,) *& revelatus fuerit,* ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτίας *ille* homo *peccati,* ὁ υἱὸς ἀπωλείας *ille filius perditionis, Ille oppoſitus, & elatus ſupra omnem dictum Deum, aut numen, ita ut is in Templo Dei, tanquam Deus ſedeat, oſtendens ſeipſum, quòd ſit Deus.* Ecquis nunc dubitet hanc eſſe definitionem *Antichriſti,*

christi, aut verba illa *Danielis* (de quibus postea) *Dan.* 11. 36. *Et faciet juxta voluntatem suam Rex, & elevabit se, & magnificabit se super omnem Deum, & super Deum Deorum*, &c. *eidem* unicè tribui oportere? aut, quò triplici Autoritate idem fulciatur; cujus, nisi *ejusdem Antichristi, ortus, incrementum*, ac *matura ætas Apocalyps.* 13. à v. 10. ad 18. graphicè depinguntur?

3. Sed pergamus itaque cum Apostolo, *Non meministis, quod adhuc existens apud Vos, hæc dicebam Vobis, & nunc scitis, quid obstat, ut reveletur in suo ipsius tempore, nam Mysterium iniquitatis jam operatur,* μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται, solùm, *qui retinet, donec è medio fiat, & tum* revelabitur ὁ ἄνομος, *Ille exlex.*

4. Quis autem erat *Ille, qui retinuit*? consentiunt fere omnes, & res ipsa loquitur, fuisse *Imperatorem*, vel *Imperium Romanum*: Quamdiu enim *potestas summa* penes *illum Romæ* fuerat, tamdiu ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ὅπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, (Romanum Imperatorem sic appellatum *Deum* sc. & *Augustum*) *Ille Oppositus, & elatus super omnem dictum Deum*, aut *venerandum*, sic *ut sedeat in Templo Dei, ut Deus ostendens se ipsum, quòd sit Deus*, ad eandem evehi non poterat; sublatâ aûtem *illâ* potestate, enasci statim videbatur ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, *ille homo peccati*, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *ille filius perditionis* *, quisquis ille fuerit, vel quomodocunque characterem illum impleverit.

5. Sic hic prædicitur, & quum de facto enasceretur, sub eodem ἀνθρώπου, sive *Hominis* stilo, *famosi* nimirum *illius Hominis* hic ad *Thessalonicenses* 2 Ep. c. 2. v. 3. *memorati* agnoscendus erat, ut ex *Apocalyps.* c. 13. v. 18. post patebit.

6. Et nescio sanè cur non conjiceremus ad nomen illud ἀνθρώπου, sive *Hominis*, alludere solere Christianos primitivos, quum de Antichristo loquerentur; arcanâ illâ, sive mysticâ quadam formulâ, tegentes id, quod si palam, & apertè dixissent, in malam partem ab Ethnicis rapi poterat.

7. Sed nec tam crypticè quisquam de phrasi illâ olim loqui existimetur, quin, nescio quomodo, æque crypticè quoque eandem plerique explicabant.

8. Nec enim diffitendum est, locum illum, (de *Homine* loquor, *ejusque* numero 666. qui & *Bestiæ* (sive *Antichristi*) numerus est;) non inquum dif-

---

* *Quisquis dico vel quomodocunque, nec enim puto* eundem *utrâque istâ phrasi designari; sed priori Antichristum propriè Romanum, posteriori* (ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *quæ idem sonat, quod Hebraicè* אבדון, *Græcè* ὁ Ἀπολλύων *Apocalyps.* 9. 11.) *Mahometen, ejusque successores; quando secundum vim illarum Vocum, ad vastitatem, exitium* & perditionem *ex usu ipsorum, ubicunque irruperant, vocantes omnia, Constantinopolin tandem, sive* νέαν Ῥώμην *novam Romam diripuerint, spoliaverint, sibique* cum imperio *usurpaverint: quòd verò simul hic jungantur, quàm id congruum videtur? quum sicut* utriusque *ortus non longo inter se intervallo distabat, ita etiam* utriusque *superstitio quasi pari utrobique passu procedebat, & quantum ad successionem* utriusque *in* potestatem Romanam, *licet distinctis quidem seculis, unus tamen & idem erat utrinque eventus: sed de his forte plura in sequentibus.*

fitendum

fitendum est locum illum, nodos perplexissimos, scrupulosque planè inextricabiles, doctis huc usque, proh quàm *miserabiliter præbuisse*! nec solutionem adeò facilem reperiri potuisse, quin *quotquot interpretes*, totidem *fere sententias* fuisse; *easque tales, in quas*, nec injuriâ, despueret pene quilibet *cordatus lector*; adeò cesserant planè in *totius Apocalypseos* opprobrium *ludicræ istæ interpretationes*, modò à *numerabilibus* hujus, aut illius *nominis literis*, modò à ratione *numeri ipsius*, rerumque *per hunc* numerandarum desumptæ; *quibus* tam *ineptis methodis, rei gravitati* sic detractum est, ut, sive *jocularitèr*, sive *seriò* id dici consuevit, non nisi *Bestiæ ipsius* Epitheton mereri videretur, quisquis *numerum ejus* [viz. 666.] explicare susciperet.

9. Quanquam interim, si tantùm ex serie *contextûs Apocalyptici* cum illo *Danielis*, atque ad *Thessalonicenses* rite comparati, judicâsse contenti fuissent, non video quid aut *faciliùs*, aut *planiùs* exhiberi poterat.

10. Quippe dixerat Apostolus ad *Thessal.* 2 Ep. c. 2. v. 6. *& nunc scitis, quid obstat, ut* Homo peccati, filius perditionis, *suo uterque*, (sic mihi videtur ex sensu verborum horum supra posito,) *tempore reveletur*; *nam Mysterium iniquitatis jam operatur, solùm ille*, ὁ κατέχων & τὸ κατέχον (modò in masculino, modò in neutro, ut *sive imperatori*, sive *imperio Romano* perinde competat,) *qui vel quod nunc obstat, vel retinet, donec è mediò fiat*, i. e. donec tolletur [a] ῥωμαϊκὴ sc. ἀρχὴ *Romanum imperium*; & mox apertiùs, τούτεστιν ἡ ἀρχὴ ἡ ῥωμαϊκὴ ὅταν ἀρθῇ ἐκ μέσου, τότε ἐκεῖνος ἥξει, καὶ εἰκότως· ἕως γὰρ ἂν ὁ ταύτης ᾖ τῆς ἀρχῆς φόβος, οὐδεὶς ταχέως ὑποταγήσεται, ὅταν δὲ αὕτη καταλυθῇ, ἐπιθήσεται τῇ ἀναρχίᾳ, καὶ τὴν τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὴν τῶν θεοῦ ἐπιχειρήσει ἁρπάσαι ἀρχὴν; ὥσπερ γὰρ αἱ πρὸ τούτου κατελύθησαν βασιλεῖαι, οἷον ἡ βαβυλωνίων ὑπὸ Περσῶν, ἡ Περσῶν ὑπὸ Μακεδόνων, ἡ Μακεδόνων ὑπὸ ῥωμαίων, οὕτω καὶ αὕτη ὑπὸ τῶν Αντιχρίστου, κἀκεῖνος ὑπὸ τῶν Χριστοῦ, καὶ οὐκέτι καθέξει: h. e. *Quando* Romanum imperium *tolletur de medio, tunc* ille *veniet*; *& merito*; *quamdiu enim fuerit* imperii hujus *metus, nemo citò summittetur*; *quando verò hoc fuerit dissolutum, vacanti imperio imponetur, & hominum, ac Dei imperium rapere aggredietur*; *Sicut enim Regna, quæ ante hoc fuerant, erant dissoluta*; *qualiter Babyloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis, sic &* hoc *ab Antichristo, & Ille à Christo, & non amplius retinebit.*

a *Chrysost. in Thessal.* 2. 2.

11. Unde satis constat *expirante Romano Imperio*, quandocunque id contingeret, *nasci debere Antichristum*; eousque saltem, quatenus, ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτίας, i. e. *Homo peccati* audiret; *quo nomine*, & *quâ conditione* comparentem *illum* iterum *Apocalyps.* c. 13. v. 18. non possum non agnoscere; sed necnon & mirari simul, quod in tam clarâ luce cæcutire volumus. *Textum ipsum* adeamus, ὧδε ἡ σοφία ἐστιν, ὁ ἔχων νοῦν ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου· ἀριθμὸς γὰρ Ανθρώπου ἐστὶ, καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ ἐστιν ἑξακόσιοι ἑξήκοντα ἕξ. *Hic est sapientia, habens mentem vel intellectum, computet* numerum bestiæ; *numerus enim* hominis *est, & numerus ejus est, sexcenti, sexaginta sex.*

12. Et se jam *sapientem* quisquam putet, sibi *mentem, & intellectum* arroget, cui *numerus ille* vel non aliqualiter saltem *notus sit*, vel saltem *cognitione* dignus habeatur?

13. *Numerum* hunc dicit Spiritus sanctus esse *Hominis*; cujus autem *Hominis*, nisi *ejus, qui* quoque *Bestia* sit? *quis* autem hìc *Bestia* appellatur, *nisi Antichristus*?

14. Redeamus ergo ad Versum 11. καὶ εἶδον ἄλλο θηρίον ἀναβαῖνον ἐκ τῆς γῆς καὶ

εἶχε κέρατα δύο ὅμοια ἀρνίου καὶ ἐλάλει ὡς δράκων. *Et vidi* aliam beſtiam *aſcendentem* è [b] terrâ *& habuit Cornua duo ſimilia agno, & loquebatur uti* Draco.

b Romanum Imperium *ſic in Apocalypſi frequentius dicitur.*

15. Dubitat quis *beſtiam hanc* eſſe *Antichriſtum*, conſulat *Danielem* c. 7. v. 8. & 11. *atque etiam* v. 25. necnon item c. 11. v. 36. videatque, an non ubique *Antichriſtus* loquitur *ut Draco*; conſulat & Paulum prælaudato ad *Theſſalonicenſes* loco, conſulat demum hunc ipſum contextum, dicatque an non *idem hic Ille* ſit quem illic definit *Apoſtolus*? aut ſi nedum ſufficiant iſta, an præter *Antichriſtum* quiſquam ſit, cui præſens hæc competat definitio.

16. Quòd ſi negari queat *Antichriſtum eſſe*, quem hic deſcribit *Apocalyptes*; ſi tum quoque *ſuboriri* ipſum conſtet, quum *Romanum* exiret *Imperium*; ſi ſic *memorabilis* futurus eſſet *hic eventus*, ut nuſquam ſacræ paginæ quicquam occurrat *tot aſteriſcis diſtinctum, inſignitumque*; quales ſunt 1. ὧδε ἐστὶν ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν, ἀριθμησάτω, *ſi quis habet aurem, audiat*, (v. 9.) 2. ὧδε ἐστὶν ἡ ὑπομονὴ καὶ ἡ πίστις τῶν ἁγίων. Hìc *eſt patientia, & Fides Sanctorum.* v. 10. & quod prius annotatum eſt v. 18. 3. ὧδε ἡ σοφία ἐστίν, *Hìc eſt ſapientia*, atque 4. ὁ ἔχων νοῦν ψηφισάτω: *qui mentem, vel intellectum habet, computet*: quid adhuc anxii hæremus, tanquam etiam ad *alium*, quàm *Antichriſtum* numerus ille [666] pertinere debeat? aut aliud quicquam deſignare, quàm *maturam*, & *adultam ejus ætatem*, ad *quam* poſt *ſexcentos, ſexaginta annos ab ortu* aſſurgeret?

17. Ponamus ergo *Antichriſti ortum*, ſic, ut hic ponit Spiritus S. nimirum quum *Romanum* abolebatur *Imperium*, id enim ſibi volunt iſta, εἴ τις εἰς αἰχμαλωσίαν συνάγει, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει· εἴ τις ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτενεῖ, δεῖ αὐτὸν ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτανθῆναι. *Si quis captivitatem congregat, in captivitatem vadit*; *ſi quis gladio occiderit, oportet ipſum gladio occidi.* Nam [c] quis *Ille*, qui *duxerat in captivitatem*, niſi Romanus imperator? *Quis niſi Romanus Imperator, qui gladio occiderat*? qui *ipſe captâ Româ* (quod contigit Anno Chriſti 410. imperante tunc in occidente Honorio) in captivitatem duci, gladioque occidi, (in quantum tot tum clades & cædes ubique graſſabantur) intelligatur? cepit tum Romam *Alaricus Rex Gothorum*; poſt quod tempus ſic imminui cœpit *Romanum imperium*, ut *nihil ejus*, niſi *nomen*, & planè imago permanſerit: à quo tempore, (quippe ut prædixerat Apoſtolus, amoto illo, qui obſtitit, *Homo peccati* cœpit *revelari*;) atque *à revelatione illius* numera 666. *quem* Spiritus S. dicit eſſe *numerum Hominis*, æquè ac *Beſtiæ* (quorum utrumque *Antichriſti* eſt,) & devenies in annum quartum *Hildebrandi*, ſive *Gregorii ſeptimi*, Chriſti ſc. 1076. quo ille *primus Imperatorem* excommunicavit, & poteſtatem *Imperatoris conſtituendi*, (hoc erat poſt reſtitutum *nomen* quidem & *Imaginem* Imperii, nam revera aliquot ante ſecula vera imperii dignitas & Majeſtas exoleverat) ſibi arrogavit.

c *Fall of* Babylon, *p. 9. preface*

18. Et quidem quid aliud hoc eſt, quàm quod v. 2. ejuſdem Capitis priùs dictum fuerat, nimirum *unum* de *capitibus Beſtiæ prioris*, (alia enim Beſtia fuerat *Antichriſtus*, v. 11.) *quaſi cæſum eſſe ad mortem? depoſito ſc. Imperatore*, qui [d] *ſeptem iſtarum Reip. formarum*, quæ in toto decurſu *Imperii Romani*, ſeu potiùs Reipublicæ Romanæ obtinuerant, *ipſe* ſextam conſtituit: quòd *autem ad mortem cædi dicitur*, (licet *plaga mortis ejus poſt ſanata eſt*, quum *novum inibat imperium*) ſuffecerit quidem illud ad explicandam Apoſtoli prædictionem, ſc. donec τὸ κατέχον vel ὁ κατέχων, aut *Ille, aut Illud quod detinuit, è medio tolleretur.*

d *Regum Conſulum, Tribunor. Dictator. Decemvir. Imperator. Paparum.*

19. *Sub-*

19. *Sublato autem illo,* quod demonſtrandum fuerat, neceſſum *eſt Antichriſtum veniſſe.*

20. Sed & alia reſtat Veritatis hujus probatio, è *Daniele* petenda, c. 11. v. 36. ועשה ברצנו המלך ויתרומם ויתגדל על כל אל ועל אל אלים ידבר נפלאות והצליח עד כלה זעם כי נחרצה נעשתה׃ *Et* Rex *faciet ſecundum Voluntatem ſuam, & exaltabit ſe,* (יתרומם quaſi *Romam* ipſam *voce illa* connotante, à רום *exaltare*, unde דומה *exaltatio*, eodem ſenſu, & ſono quo *Roma ipſa* effertur,) *& magnificabit ſe ſuper omnem Deum, & ſuper Deum Deorum, loquetur mirabilia, & proſperabitur ad uſque conſummatione iræ, quoniam quod decretum eſt, fiet.*

21. Locum hunc de *Antichriſto* intelligi debere ſatis conſtat, cùm ex materiâ hujus & trium ſequentium verſuum, tum ex formulis כי עת קץ *quoniam tempus finis eſt*, & כי עוד למועד *quoniam adhuc ad ſtatutum tempus*; quibus novum hic argumentum inchoari, cum Judæis, ſentio; nec veriſimile eſt tam *ſolennem* & *quaſi ſingularem periodum* deſignatam fuiſſe, ſi nihil *certum*, aut *peculiare* ſubintelligi Voluerat *divinus Author*.

22. Iniiſſe quidem *Imperium Romanum, quum venerant triremes de Chittim*, v. 30. non ſine ratione ſtatuunt interpretes, & ſi, *quæ* ſit *prophetiæ hujuſce methodus*, ſi, *quæ* figendi cujuſque calculi *ratio* à Spiritu S. quaſi conſtanter obſervata, rite expendamus, reperiemus profectò hujuſmodi aliquâ inſigni notâ *Imperii cujuſque*, aut *ſtatûs alicujus eximii ſucceſſionem* ubique diſtingui.

23. Sic *exeunte Perſico imperio*, Dan. 8. 17. dicitur *Viſio* fuiſſe לעת קץ *ad tempus finis*; quoniam verò *Viſio* illa non (ut ita dicam) *ſingularis* fuerat, *uniuſque ſolius imperii fatum* complexa, (quippe quæ ad *Perſicum*, *Macedonicum*, & *Romanum* extendenda fuerat; ab anno ſc. *Belſhazzaris* tertio, ad uſque *bis mille*, & *trecentos dies*, v. *annos*) idem fere iterum ſubjungitur v. 19. *viz.* למועד קץ *ad ſtatutum tempus finis*, & ad plures adhuc, & graviores eventus *Viſione* eâdem pertingente, ulterius adjicitur v. 26. כי לימים רבים *quia ad dies multos*; quo eodem ſenſu & illud intelligi videtur, quod habetur *Dan.* 10. 14. עוד חזון לימים *adhuc Viſio in dies*: *in dies* nimirum *eoſdem*, *qui Dan.* c. 8. v. 14. & v. etiam 26. enumerabantur; *qui*, ut patet ex continuâ *Viſionis* interpretatione à 14. illo verſu cap. 10. uſque ad v. 7. cap. 12. non niſi cum *Antichriſto* exituri erant.

24. Iterum *exeunte Macedonico imperio*, *Dan.* 11. 24. dicitur, ועד עת *& ad tempus*, & v. 27. כי עוד קץ למועד *quoniam adhuc finis in ſtatutum tempus*, & v. 29. למועד *ad ſtatutum tempus*; unde *celebre illud Romani Imperii* initium, quaſi virgulâ quam in manu habuit, circumſcribente *Antiochum* Popillio, jubenteque, ut priuſquam circulo illo excederet, redderet reſponſum Senatui, quod referat; *facturum* ſe *Antiochus* reſpondit, *quod cenſuit Senatus*; adeoque die finitâ exceſſit Ægypto, legatis *ejus* pòſt Romæ referentibus; *omni victoriâ potiorem pacem Regi, quæ Senatui placuiſſet, viſam*; *eumque* haud *ſecus quàm Deorum* (*Dei*, dicere debuiſſet, qui hoc prædixerat Dan. 11. 30.) *imperio Legatorum Romanorum juſſis paruiſſe.* * * *Liv. l. 45. c. 12.*

25. Nec video ſanè, quare, (quum v. 35. dicatur עד עת קץ *ad tempus finis*, & כי עוד למועד *quoniam adhuc ſtatutum tempus*,) non *illic* Romani ipſius imperii *finem*, (ſic ut ad *Apocalyps.* c. 13. v. 10. pridem notavimus)

illic illius ſtatutum tempus poneremus? Eouſque ſaltem, quòd *mutato rerum ſtatu, novoque Rege* rerum *ſummâ potituro*, ab Epochâ illâ, nova prorſus *imperii ſpecies*, & *imago* fuerat ſucceſſura.

26. *Novo*, inquam, *Rege* rerum ſummâ potituro; ſic enim diſertè appellatur verſu jam citato המלך, quaſi *diſtinguendus* ab illis omnibus, *qui à* tempore, quo primùm obtinuerat *Romanum* imperium, *remp.* adminiſtrarant; Et quidem non minus *hic*, quàm in parallelo illo *Apocalypſeos* loco Cap. 13. à v. 10. ad 18. *diverſa* omnino *rerum & Reip. adminiſtratio* deſcribitur, *eaque talis*, quæ uni *Antichriſto* tribui poterat, & deberet.

27. Quòd ſi verſu 40. dicatur iterum ובעת הקין & in *tempore finis*; *èâdem ratione* & *illic* novum *introduci rerum ſtatum, imperiique quaſi alterius ſuborituri* initium dari, non eſt dubitandum: *Imperium* autem *illud alterum*, non niſi *Mahometanorum* erit; ſic quidem, ut non tum neceſſum ſit in integrum aboleri *illud Antichriſti*; *Cui* potiſſimum *corrigendo, puniendoque alterum* hoc, (ſapientiſſimo Dei conſilio) ſubſervire permittitur: *utrâque hac Romani imperii parte, ſibi* invicem ab hoc tempore *vim, & injurias* ut plurimum *inferente, ſceluſque ſceleri, impietatemque impietati* addere *non ceſſante*; donec *juſto tandem Dei judicio* diverſo licet, & ſic *ſuo tempore communis utramque* involverit *ruina*: quum jam ut habetur *Dan.* 12. v. 7. תכלינה כל אלה *univerſa hæc* (nimirum quæcunque ad *Antichriſti tempora* pertinebant) *conſummarentur*; idque ſecundum *peculiarem ipſius* (i. e. *Antichriſti*) *periodum* iſthic למועד מועדים וחצי per *tempus ſtatutum, tempora ſtatuta & dimidium*, (uti prius Dan. 7. v. 25. עד ערן וערנים ופלג ערן uſque *ad tempus, & tempora & partem*, vel *diviſionem temporis*) aut longiorem *illam duorum millium & trecentorum dierum* Dan. 8. & 14. (*cujus certitudo* iterum aſtruitur *capitis ejuſdem* v. 26.) *toti durationi* (uti jam attigimus) non *Romani* imperii modò, ſed & *Macedonici*, ac *Perſici imperii tum reſidui* aſſignatam, cumque illâ *Dan.* 12. v. 7. & *Dan.* 7. v. 25. pariter exeuntem: ſic *moderante* omnia *divino conſilio*, ut quicquid *ſolennius*, quicquid *memoriâ dignius* toto illo temporis decurſu contingeret, *ſuis propriis intervallis, diſtinctiſque periodis*, ſic ut ſupra annotavimus, *ſigillatim* exhiberetur.

28. Jam verò ſi ſic ſe habeat *Epocha* naſcendi Antichriſti, Ut, niſi *Perſarum, Macedonum* & *Romanorum Imperiis* locum illi *cedentibus*, i. e. ex ſenſu Prophetiæ illius generalis, *Dan.* 8. v. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26. *ſibi invicem ſuccedentibus*, adeóque *horum ultimo expirante*, naſci omnino non potuiſſet Antichriſtus; ſi & *hæc* ſic *ſibi invicem ſucceſſerint*, ipſique *locum ceſſerint*; Si ſic *arctiſſimo inter ſe nexu* jungantur *iſta*, ut *priori* Prophetiæ *parte completâ*, non poſſit non & *compleri altera*; ſi *una & eadem ſit totius Veritas*; Et ſecundum *illam Veritatem* τὸ κατέχον, ἢ ὁ κατέχων, ſive *Imperator*, ſive *imperium Romanum de medio tollatur*; tum, (ut unde exorſi ſumus, argumentum noſtrum nunc claudamus,) ἐλθεῖν ⸗ ἀποστασίαν πρῶτον, καὶ ἀποκαλυφθῆναι ⸗ Ἄνθρωπον ⸗ ἁμαρτίας, ⸗ υἱὸν ⸗ ἀπωλείας, ⸗ ἀντικείμενον καὶ ὑπεραιρόμενον ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ⸗ σέβασμα, &c. *Veniſſe primùm Apoſtaſiam, & revelatum eſſe* Hominem peccati, filium perditionis; *oppoſitum illum & elatum ſuper omnem dictum Deum, vel numen*; tum adfuiſſe ⸗ ἑαυτὸ κρύβειν, Theſſal. 2. c. 2. v. 6. *utrobique proprium tempus*, & *opportunitatem ipſam*, (τὸ κατέχοντος, *illo, quod detinebat*; *ſublato*,) clariſſimè ſequetur; i. e. *Antichriſtum magnum*, quàm largo

largo cunque ſenſu *Ille* intelligatur, reverà *jam veniſſe* & quatenus magis peculiari modo *Homo peccati* dicendus erat, fuiſſe illum, hodiéque eſſe *Romæ præſentem*; *quod erat* demonſtrandum.

Cap. IV.

Ampliorem Antichriſti *deſcriptionem è prædictis locis ad* Theſſalon. *Ep. 2. c. 2.* Apocalypſ. *c.* 13. 11. &c. *&* Danielis c. 11. 36. &c. *atque* adventûs ejus ulteriorem probationem, illi Romæ ſedenti *competere, oſtenditur*; eumque eundem *eſſe*, qui *per* Beſtiam habentem cornua decem & ſeptem capita, Apocal. *c.* 17. *ſignificatur, ortumque eundem habere, cum* Beſtiâ *aſcendente è terrâ*, Apocal. *c.* 13. *v.* 10.

1. EXcuſſis, atque inter ſe collatis ad *Theſſal.* Ep. 2. c. 2. *Apocalypſ.* 13. & *Danielis* 11. 36, &c. atque oſtenſo, tum *veniſſe oportere Antichriſtum*, quandocunque *ſublatum* eſſet *imperium Romanum*; necnon perſtricto, quomodo inter ſe diſtingui debuerat ὁ Ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, καὶ ὁ υἱὸς ἀπωλείας, *Homo peccati, & filius perditionis*, altero *Romæ proprie dictæ*, altero Conſtantinopoli ſive *novæ Romæ* ſeſſuro; Satisfeciſſe jam fortè (Otrokocſi) videar ſcrupulo tuo de *Antichriſto*, an *Venerit adhuc*, & *Romæ ſederit*? nec quid ulterius hic adjicerem, niſi me non jam *Tibi uni*, ſed *quibuſcunque aliis* Hominis peccati *mancipiis, Romano-catholiciſque quibuſcunque huc uſque ſeductis, aut ſeducendis*, immò & *Univerſo Orbi Chriſtiano*, inque *omnia ſecula* ſcripturum prope confiderem.

2. Quid enim dubitaret quis *Syncerus Chriſtianus*, non *reformatus* nunc dico, aut *Proteſtans* aliquis, *Lutheranus, Calviniſta*, aut *Evangelicus*, (nominum iſtorum diſtinctiones *procul* habeo, & ſpero brevi fore, quum iſta omnia, & quæcunque alia *Chriſtianiſmi malè tractati Anguſta* quidem ac à *Charitate verè Chriſtianâ*, (proh quàm *aliena*!) *Epitheta, Chriſtianæ-Religioni procul, procul* aberunt;) *Hominem peccati* ſuis propriis coloribus depingere? quid *peſtem illam* denunciare, quæ tot jam ſecula *contagionem ſuam* ubivis fere *Chriſtiani Orbis* ſparſit? quid *exitiales iſtas labes*, ac *maculas*, quibus *hanc* diſtingui atque devitari velit Spiritus S., detegere, aperire, & præmonere ultra vereretur quis, qui ſe *Spiritûs* illius in *omnem Veritatem* ducentis commiſerit *auſpiciis*?

3. Nec verò, quicquid contra nitantur *viliſſimi* iſti *Antichriſti* aſſeclæ, etiam iis, qui *remis* (ubi Tu aliquando, ſed meliori longè tum fide, allaborâſti) dati ſunt, *ſervis* viliores, efficient unquam, ut credamus non eſſe *eum* Antichriſti *Characterem, eas illius notas, quas* prædictis illis locis diſertiſſimè tradit *divina ſapientia, iiſque notis, eoque charactere* illum qui *ab illo tempore, hodieque Romæ* ſedet, manifeſtò deſignari.

4. Ad loca ipſa, neceſſe eſt, redeamus.

5. Horum autem primus eſt ad *Theſſalon.* Ep. 2. c. 2. v. 4. *Ille oppoſitus, & elatus ſupra omnem dictum Deum, ac numen, ita ut in Templo Dei tanquam Deus ſedeat, oſtendens ſeipſum, quod ſit Deus*; v. 8. *Ille exlex*, v. 9. ὃν ἔσται ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, v. 10.

v. 10. ᾧ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, *cujus adventus ſecundum operationem* [efficaciam] *Satanæ, in omni potentiâ, & ſignis, & prodigiis mendacii,* [mendacibus;] *& in omni fraude injuſtitiæ in iis, qui pereunt.*

6. 'Secundus eſt, *Apocalypſ.* 13. 11. & vidi aliam Beſtiam aſcendentem de 'terrâ, & habebat cornua duo ſimilia agno, & loquebatur, ſicut *Draco*; 'v. 12. & poteſtatem prioris Beſtiæ omnem facit, [exercet] in conſpectu 'ejus, & fecit terram & in eâ habitantes, ut adorent Beſtiam primam, cujus 'ſanata eſt plaga mortis ejus. v. 13. Et facit ſigna magna, & ignem, ut de 'cœlo deſcenderet in terram, in conſpectu hominum. v. 14. Et ſeducit ha-'bitantes in terrâ, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu 'Beſtiæ, dicens habitantibus in terrâ facere imaginem Beſtiæ, quæ habuit 'plagam gladii, & vixit. v. 15. Et datum eſt illi Spiritum [vitam] dare ima-'gini Beſtiæ, ut loquatur imago Beſtiæ; & facit, ut non adorantes imaginem 'Beſtiæ occidantur. v. 16. Et facit omnes, parvos, & magnos, & divites, & 'pauperes,& liberos, & ſervos,ut dent illis characteres in manu eorum dextrâ, 'aut in frontibus eorum. v. 17. Et ne quis poſſet emere, aut vendere, niſi 'qui habeat *characterem*, aut nomen Beſtiæ, aut numerum nominis ejus.

7. 'Tertius eſt, *Danielis* c. 11. v. 36. Et faciet juxta voluntatem ſuam 'Rex, & elevabit ſe, & magnificabit ſe ſuper *omnem Deum* & ſuper *Deum* 'Deorum, loquetur mirabilia, & proſperabitur ad uſque conſummationem 'iræ: v. 37. Et Deum patrum ſuorum non curabit, nec deſiderium mulie-'rum, nec Deum aliquem curabit, quia ſuper univerſa ſe magnificabit. v. 38. 'Et Deum Mahuzim in loco ſuo glorificabit, & Deum, quem non noverunt 'Patres ejus, glorificabit; in auro, & in argento, & in lapide pretioſo, & 'in deſiderabilibus. v. 39. Et faciet, [*ſacrificabit,*] munitionibus Mahuzim 'cum Deo alieno, quem agnoſcet, [&] multiplicabit gloriam, & dominari fa-'ciet eos multis, & terram dividet in pretio.

8. Quibus locis ſic ob oculos poſitis, cæcutiat, opus eſt, quiſquis non ſatis videat hic deſcribi *Antichriſtum*, illumque non alium eſſe poſſe, quàm qui *Romæ ſedeat.*

9. Quid enim eſt, per quod *Antichriſtus* definiri poteſt, quod textus iſti non abundè docent? *Superbia, Idololatria, Tyrannis, Avaritia, Luxus, crudelitas, legum omnium humanarum, divinarumque violatio, Hominem hunc peccati* quoquo modo rite depingere videantur? En prædicta omnia! Aut ſi quiſquam ſit, cui iſta competant, dubitabimus ultra, an *Antichriſtus* iſte dicendus ſit?

10. Competere *iſta illi* Romæ *ſedenti* utinam non nimis conſtaret; at quis tamen hoc inficiari poterit, qui quæ fuerat *Pontificiorum hiſtoria*, ex quo *dilaceratum erat Romanum imperium*, paulò accuratiùs expenderit;

11. Illic enim *naſcendi Antichriſti Epocham ex* Apocalypſeos c. 13. 11. *ſupra fiximus*; quum ſc. *Ille*, qui *detinuit*, (uti *prædixerat Apoſtolus ad Theſſalon. Ep.* 2. *c.* 2. *v.* 6, 7.) *tollendus erat*; atque illic *eandem*, Apocalypſ. c. 17. v. 12. *iterum figit* Spiritus S., *Beſtiæ coccineæ, plenæ nominibus Blaſphemiæ, habenti ſeptem capita, & cornua decem.* v. 3. *Cui mulier circundata purpurâ, & coccino, inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens aureum poculum in manu ſuâ, plenum abominationibus, & immunda fornicationis ſuæ*; v. 9. *Et in fronte ſuâ nomen ſcriptum,* Μυστήριον, Βαβυλὼν ἡ μεγάλη

μεγάλη ἡ μήτηρ τ πόρνων, καὶ βδελυγμάτων τ γῆς, *Mysterium, Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ*, v. 5. insedit, *Reges illos*, (quibus *dilacerati imperii partes* obventuræ erant,) *unâ, & eâdem horâ*, seu *tempore potestatem accepturos*, συλλήψεις, & *coætaneos constituens*.

12. Et ne dubitemus *ad Antichristum*, sic ut in *priori capite* dictum est, pertinere *ista, eandem pariter notam, quâ* quasi per digitum indicem ibidem *hunc* monstraverat, iterum hic addit *idem Spiritus*, v. 9. ὧδε ὁ νῦς ὁ ἔχων σοφίαν, *hic est mens quæ habet sapientiam*; Nimirum hìc *illa eadem sapientia*, quam *habenti mentem*, cap. 13. v. 8. tribuerat; per *quam*, uti ishinc observavimus, *Hominis peccati matura ætas*, (sicut priùs per *illas alias notas*, v. 9. & 10. *viz* εἴτις ἔχει ὦς ἀκουσάτω, *si quis habet aurem, audiat*, & ὧδε ὅδιν ἡ ὑπομονὴ, καὶ ἡ πίστις τ ἁγίων. *Hic est patientia & fides Sanctorum, ejus Ortus & incrementum*,) designabatur.

13. Quid quòd, ne *quâ* hic *nobis arena* hæreat, *Ipsum* se hic *Pontifex Romanus* indigitaverat, [a] 'Tiaræ suæ, hoc ipsum nomen *Mysterium* inscri- 'ptum habens; quod Αυτόπλαι plurimi testantur, & quum id Jacobus I^us. Bri- 'tanniæ Rex objiceret, Lessius negare non potuit, sed ait, *frustra in My- 'sterio Mysterium quæri*, postea verò, *Tiarâ a Julio refectâ*, ejus loco inscri- 'ptum fuit, *Julius Pont. Max.*'? [a] *Synops. Crit. in loc.*

14. Insuper & *de loco*, & *personâ*, vel potius *Statu Antichristi*, subjicitur tandem, quod *notâ omni* certius fit, c. 17. v. 18. καὶ ἡ γυνὴ ἣν εἶδες, ὅδιν ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ ἔχουσα βασιλείαν ὅδὶ τ βασιλέων τ γῆς: *Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, habens regnum super Reges terræ*? An verò præter *Romam* civitas ulla tum fuerat, cui Regnum tale obtigerat?

15. Et potest jam quis in dubium vocare, an *Romæ sessurus* erat *Antichristus*? aut an tum, quando *dilaceratum* erat *Romanum imperium*, i. e. quando *decem illa prædicta cornua*, sive *decem ascititii Reges, Imperatore sublato*, cum *Bestiâ* succreverunt? *Apocal.* c. 17. v. 12 oriundus esse diceretur?

16. Contigisse autem *illud* sub annum *Christi* 455. docent *Chronologi*, quum quæ pridem ab Alarico, *viz.* circa annum 410. *capta* fuerat *Roma*, jam iterum [b] à *Genserico capta, ipso quasi imperio* excidit. [b] *Fall of Babylon p.* 18.

17. Nec contra faciet, quod hodieque *Imperatorem* supersesse adhuc videmus; nec enim est *Ille* revera *Romanus Imperator*; successor quidem qui futurus est, titulo tenus sæpe audit *Romanorum Rex*; *Imperium* verò, & *Imperatorem* ab illo tempore *exolevisse*, non est negandum.

18. Quanquam & ille *ipse Imperator, qualis qualis* futurus, *Illudque ipsum quale quale Imperium* non sine divinâ Providentiâ, & determinatâ scientiâ *subnascitur*.

19. Huc facit, quod habetur, hoc eodem *Apocalypseos capite* v. 9, 10, 11. *Septem capita septem montes sunt, ubi mulier sedet super eos*; *Et Reges septem sunt*, (ad [c] *totidem Regiminis Supremi formas* referunt id interpretes) *quinque ceciderunt, unus est, alius nondum venit, & cum venerit, paululum illum oportet manere*: & *Bestia, quæ erat, & non est*, & *ipse octavus est*, & *de septem est*, & *ad interitum vadit*. [c] *Regum, Consulum, Tribunor. Dictator. Decemvir. Imperator. Paparum.*

20. *Unus est*: Is nempe *Imperator*, apud quem rerum summa tum erat, qui *sextus* quidem fuit, (*Regibus, Consulibus, Decemviris, Dictatoribus, Tribunisque* jam extinctis;) *alius* (viz. *Papa*) nondum venit; quippe nonnisi

sublato

ſublato illo, qui obſtabat, viz. *Imperatore*, (ut abundè ſupra dictum eſt,) poterat *ille* revelari, *Theſſal.* Ep. 2. c. 2. v. 3. &c.) & cum venerit, paululum, ὀλίγον (tempus ſc. præſtitutum, quod ad *corroborandam fidem, & patientiam* ſanctorum, per *dies tantùm* (viz. 1260.) *menſes* (viz. 42.) *tempus, tempora & dimidium temporis*; breves nimirum terminos, & periodos, ubique ſignificatur) *illum* oportet manere. *Et Beſtia, quæ erat, & non eſt; ad quam* illud *Beſtiam* referri poteſt, niſi *cui eidem* dicitur *cæſum eſſe unum de capitibus ſuis*, Apocalypſ. c. 13. v. 3.? Quòd verò ſubjungitur, & *ipſe octavus eſt*, ſatis oſtendit, alium eſſe illum à *Papâ*, ſive Rege proximè nominato; uti &, quod ſequitur, *de ſeptem eſt*, eodem illum *nomine* & *ordine* eſſe, quo è præcedentibus aliquis fuerat; *Imperatoris* ſc., quoniam jam eundem excepturus, quaſi *ſeptimus* adhuc dicitur, licet intercalato Papâ, pro *octavo* potuerat haberi.

21. Sed quum *proprium ſuum nomen, propriam* quoque *Regiminis formam, propriumque tempus, paululum* ſc. ſive ὀλίγον *denominatum*, habiturus eſſet Papa; licet inter *reliquos Reges* numeretur, numeratur tamen, quaſi ab ipſis diverſus; adeoque, ut ut poſt ipſos venturus fuerat, numerum nullum diſtinctè conſtituit, ſed quaſi prætermittendus, *ipſi*, qui aliqualiter ſaltem ſucceſſurus ei fuerat, tanquam *uni è ſeptem*, vel *ſeptimo* locum cedit.

22. Quòd verò ſubjicitur tandem, ᾧ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγει, ſi fortè id ad *Papam* ſpectaverit, (& ſpectet necne, dies indicabit;) non eſt cur *novo tuo domino* tantopere gaudeas, aut quam tantam ex *Clientelâ hac tuâ ſpem* concipis, nimis inſolenter oſtentes; quum, ſi ſic Te *in gremium recipiat Romana Eccleſia*, uti Tibi ariolari videris, *eam* ſolùm cum *ipſâ* navem conſcenſurus es, *quæ* ipſa *naufragio proxima* cenſeatur; Sin minus *eo Te affectu exceperit*, quem dicis Deum ipſum Tibi [d] prædixiſſe, in *quam* Tu ipſe *perditionem* abiturus es, qui *divinam ipſam Veritatem naufragam* feceris?

d *p.* 34.

23. Sed id Tu videris; Interim quàm male Te vel Diabolus, vel Túte tractas, qui non alium poteras Dominum reperire, cui, Te emancipes, quàm *ruentem Antichriſtum*? qui quomodo ipſe jam *in perditionem* abire cœpit, aut ſaltem abiturus ſit, proximo ſtatim capite, ad *ſatietatem* uſque, vereor, ne *ad nauſeam* quoque, Tibi explicabo; niſi fortè, quod contingere ſolet vomitum ſuum lambere, ac relambere ſolitis, ſtomachum Tibi nihil moveat, *levitatiſque* tuæ tam *ſingularis* laudem unicam eſſe cogites, in *eâdem* perſtitiſſe.

24. Sed meminiſſe debeo me *Superbiam, Idololatriam, Tyrannidem, Avaritiam, Luxum, Crudelitatem, legum omnium humanarum divinarumque violationem, Antichriſto* imputâſſe; adeoque expectari fortè ut *illi Romæ jam ſedenti*, (quem pro *Antichriſto* habeo,) convenire iſta ſigillatim oſtenderem; Et quidem non eſſet id difficile; ſi *Pontifices ipſos, reſque* ab ipſis in Eccleſiâ *male geſtas*, ab eo tempore, quo *Beſtia illa altera* aſcendebat è terrâ *Apocal.* c. 13. v. 11. ordine ſolùm percenſerem.

25. Sed quum hæc *Regni Pontificii* Hiſtorias legenti, nuſquam non occurrant, & ad *Charitatem* magis ſpectet de *vitiis*, quàm de *perſonis* dicere, à *cloacâ illâ* manus abſtineo; ad ea perrecturus, quæ *Spiritus S.* de his ultra tradidit;

tradidit; in quibus nec *Veritas*, nec *Charitas* violari poteſt; unum, idque inſtar omnium obſervare lubet; quòd ſi ex præſenti *rerum* inter Pontificios *ſtatu*, (*quem* certè Túte, Otrokocſi, perſpexiſſe debueras, eoque ſolo ſatis convinci) de his omnibus *judicium* aliquod ferendum ſit, *nullam* is *charitati vim* offeret, quiſquis *illi matri*, cujus *hic fœtus* ſit, degenerem univerſam progeniem imputabit.

Cap. V.

Præmiſſo, Tubas *fuiſſe ſub* ſigillo ſeptimo, *oſtenditur earum* tres primas *ad* everſionem Romæ *Ethnicæ*, quatuor *autem* ultimas *ad* Antichriſtum Magnum *pertinere*, *ſpecialiter ſub* quartâ Tubâ, *&* quatuor primis Phialis, *cum* illâ *coutemporaneis*, illum *non* veniſſe *tantùm*, *ſed ad* maturam ætatem *perveniſſe*, *ex eo*, *quòd* Mahometanis *ſub* his *incurſiones ſuas in* Italiam &c. *facientibus*, *non conceſſa fuerat poteſtas invadendi ſive* Imperium, *ſive* Eccleſiam Romanam *ante* Antichriſti *adventum*.

1. PErpenſo *Joan.* Ep. 1. c. 4. v. 1. Necnon *Iſaiæ* c. 14. v. 12. *Matth.* c. 24. v. 45, 46, 47, 48. --- 51. Et *Joan.* Ep. 1. c. 4. v. 3. unde occaſionem Te ſumpſiſſe ais, accuratum inſtituendi examen, ad probandum, *Antichriſtum magnum non veniſſe*, *nec eſſe* illum *Romæ præſentem*, capite primo:

2. *Voceque internâ*, *quâ ad hoc*, *reliquamque omnem Apoſtaſiam* Te ductum profiteris, aliquantum *examinatâ*, capite ſecundo: Necnon

3. Quòd ſciens ſis, *Veniſſe Antichriſtum*, quando *futurus* ejus *ortus*, & quomodo Romano Imperatori fuerat *ſucceſſurus*, ex Epiſtol. ad *Theſſalon.* 2. c. 2. *Apocalypſ.* c. 13. v. 11. &c. & *Daniel.* c. 11. v. 36. &c. *tertio*: atque

4. Qui *talis* Imperatori *ſucceſſurus* erat, *qualis* prædictis illis locis deſcribitur, *fuiſſe* illum *Romæ ſedentem*, *ortumque eundem* habuiſſe cum *Beſtiâ è terrâ aſcendente*, (collatis ad hoc *Apocalypſ.* c. 13. v. 11. &c. & *Apocalypſ.* c. 17. v. 11. &c.) *quarto capite*, oſtenſo:

5. Quòd nunc *controverſiæ iſti* finem ponamus, (1.) *Quem ſic veniſſe oportere*, (prout locis illis prædicebatur,) & (2.) *Romæ fore præſentem*, *quandocunque venerit*, *Quem* (3.) de facto *Romæ ſediſſe*, & *iiſdem notis* per omnia *diſtinctum* fuiſſe, *quibus diſtingui* debere *Antichriſtum* ſignificaverat Spiritus prophetiæ, in ſuperioribus probatum dedimus; ſubiiſſe jam extremas plagas, & *judicia* Dei, ſi minùs *omnia*, at ſaltem eorum *plurima*, quibus *Antichriſtum* addixerat *ſacra pagina*, ac proinde non modò *natum* fuiſſe, *adoleviſſe*, & ad *maturam ætatem* Hominis peccati *perveniſſe*, *ſed ad interitum* properare, *morbi immedicabilis* quaſi *ultimam criſin* ſenſiſſe, nec reſtare fere quicquam, niſi ut *juſtis ritibus efferatur*, clariſſimè, uti ſpero, demonſtrabitur.

6. Cui propoſito ut inſerviat, Horum ſingula, ſuo quæque ordine, & tempore ac loco ſic digeremus, ut quid ad *Antichriſtiani Regni politicum*, quid ad Eccleſiaſticum *ejus* ſtatum propriè pertinebat, diſtinctiùs exhibeatur.

a *Thess.* 2. c. 2. v. 4.

7. Nec enim *corruptissima ista Ecclesia*, in *qua* tanquam [a] in *Templo Dei* sedit, & dominatus est *Antichristus*, sic inter limites suos continebat sese, ut *corruptionis ejus* teterrimæ labes, & serpens Gangræna non ad plurimas quoque *imperii* partes miserrimè diffunderetur; nec mirandum ergo, si quos *eadem* mali *contagio*, *eædem ubique noxæ*, *& reatus* infecerant, *idem* isti *ubique fatum*, *easdem pœnas*, atque *exitus* perhorrescerent, atque sentirent.

8. Immò etiam non sine causâ fuit, quòd *pœnis* quoque *gravissimis* priùs mulctaretur *Imperium*, quàm *Ecclesia*; quippe ad cujus *implendam iniquitatem* accesserat [b] *justus ille Christianorum sanguis effusus super terram*, *à sanguine* justissimi ipsius Christi, ad usque, non solùm *Romæ ipsius* quasi *excidium*, *cessante ipso Romano Imperio*, sed in *omne illud tempus*, quo adversus *repetita Dei judicia* obduraret se, nec *pœnitentiam agere* dignaretur.

b *Gen.* 15. v. 16. *Matt.* c. 23. v. 35.

9. Huc referri debet responsum illud, quod *Apocalyps.* c. 6. v. 9, 10. dabatur *animabus subtus altare*, *magnâ voce clamantibus*, *usquequo Domine*, *sancte & vere*, *non judicas & vindicas sanguinem nostrum de habitantibus in terrâ*? quibus *stolæ datæ* v. 11. quid aliud præsagiunt, quàm *lætitiam illam*, *triumphumque* quo exultarent, gauderentque; *quum*, qui *requiescere jubentur* ἔτι χρόνον, *in tempus illud*, *Statum quasi tempus*, (donec & *conservi*, *& fratres* eorum trucidandi essent, sicut & ipsi, pariter complerentur;) ad observandam, *admirandamque Domini* vindictam iterum evocarentur?

10. *Tempus* autem *illud*, quod aliud esse poterat, quàm quod tot asteriscis, notisque insignioribus, (totidem scilicet, quot nusquam universæ sacræ paginæ, simul, semelque adhibentur, *viz.* ὁ ἔχων νῦς, ἀκουσάτω, ὧδε ἐστιν ἡ ὑπομονὴ, καὶ ἡ πίστις τῶν ἁγίων. *Apocalyps.* c. 13. v. 9, 10. *de quibus* suprà cap. 3. par. 16.) distinguitur, quum *Imperium Romanum*, sive *Paganum*, (*quale* tum fuerat, quum planctus suos *animæ sub altari* hic effundebant,) sed sub *sexto sigillo* (sub quinto enim, animarum clamantium *Vox magna* hæc audita est, v. 9.) statim expiraturum v. 12, 13, 14, 15, 16, 17.) sive *Christianum*, quale tum jam ab illo *Pagani* excidio successurum erat, sed ad eandem degeneraturum impietatem, & crudelitatem, quæ *durante priori* grassabantur, per *suam* nunc *ruinam*, *casumque*, in tempus certè *ineluctabilem*, pœnas esset justissimas daturum?

b *Cap.* III.

11. Sed hæc quidem omnia ante *ortum Antichristi*; quum nec *nasci* Ille *poterat*, donec, quod [b] supra fusiùs attigimus, τὸ κατέχον, id, quod obstitit, tolleretur; quod obstitit autem, erat, (uti ibidem ostensum est,) *Romanum Imperium*;

12. Nec à re me quisquam aberrare censeat, si *Tubarum*, & *Phialarum*, quæ sibi magnâ ex parte contemporaneæ sunt, iisdemque *rebus*, *& personis*, licet *diverso* ut plurimum *exitu*, conveniunt, exegesin quasi integram daturus, de *utrisque* ab ipso capite, commentarios aliquales auspicabor.

c *Apocal.* c. 8.

13. QUandò iniit [c] *septimum sigillum*, (sub quo *Tubæ septem*, ac *totidem Phialæ* locum habent,) ex illo judicandum est, quod sub *sexto evenisse* legimus *Apocalyps.* c. 6. v. 12, 13, 14, 15, 16, 17.; quod ad *funestissimum* illum *ruentis Imperii Pagani casum* non dubito esse referendum; Quum in *causâ*

Agni

Agni Conſtantino M. *ejuſque ſucceſſoribus Orthodoxis* tam validè militantibus, prout *magno illo terræ motu* ibidem præmiſſo quàm aptiſſime figurabatur, *Univerſa res Ethnica* penitus *mutata fuit, ac ſubverſa.* Quippe tum omnes Gentilium Dii cœlo ſuo excuſſi, *Pontifices* & Sacerdotes exaugurati, dejecti, reditibuſque ſuis in perpetuum exuti? Templa, Fana, Delubra Dœmonum, per omnem Romanum Orbem conquaſsata, direpta, inflammata, demolita. Adhæc, Imperatores, Reges, Dynaſtæ, (qui Diis ſuis tam enormiter periclitantibus ſubvenire, bellum Chriſti Vexilliferis indicere, ingentibus copiis decernere, etiam prælio ſuperati, bellum vi ſummâ inſtaurare in animum induxerant;) inauditis ſtragibus cæſi, fuſi, fugatique; donec tandem re deſperatâ, nemo amplius Religioni Romanæ, tanto fragore ruenti, ſuppetias laturus reperiretur: Sic Medus p. 447. ubi *plura*, de *Regibus terræ, Magnatibus, & Tribunis, divitibus, & potentibus, ſervis, & liberis*, i. e. *Maximiano Galerio, Maxentio, Maximino*, cum *Martiniano Cæſare, Licinio, Juliano Imperatoribus*, (cum *Eugenio*, & *Arbogaſte Tyrannis*,) cum omnibus infidelitatis ſuæ ſociis, cujuſcunque ordinis, & gradûs; *qui* Religionem avitam tueri, rei Deorum peſsum eunti ſubvenire, jamque collapſam, & perditam reſtituere, vi, manuque conabantur, eo tandem Anguſtiarum reducti ſunt, ut *abſconderent ſeipſos in ſpeluncis, & in petris montium, dixerintque montibus & petris, cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper Thronum, & ab* irâ Agni, quoniam venit dies magnus iræ ejus, *& quis poterit ſtare?* p. 450.

14. Nec enim uſquam rerum eventa magis ad literam reſpondebant, quàm quæ tum contigerunt; uti illic idem doctiſſimus, inque re viſionum *Apocalyticarum* oculatiſſimus *Medus* ulterius explicat, & *Eccleſiaſtici ſcriptores* clariſſimè tradunt.

15. Unde ſatis conſtabit, *ſeptimum ſigillum*, poſt *everſam Ethnicam Romam*, iniiſse; adeóque, quæ per *Tubas* ſignificantur, pertinere ad clades, ab aliis, Imperio *jam Chriſtiano facto*, inferendas.

16. Et quò has nunc ordine breviter percenſeamus.

17. (1.) Quid [d] Grandinem, ignemque μεμιγμένα ἐν αἵματι mixta ſanguine, efficaciùs explicare poterat, quàm *ſubitæ illæ, cruentæ*, ac *tempeſtatibus* ſimillimæ *Vandalorum, Gothorum*, & *Hunnorum* irruptiones? Alarico primùm circa Annum 395. & poſt circa Annum 405. Radagaiſo irruentibus, ferróque & igne omnia vaſtantibus? [d] *Apocal.* c. 8. v. 7.

18. (2.) Et, ſi clangente ſecundâ Tubâ, *mons magnus ardens* in mare mitti, *mariſque* tertia pars ſanguis fieri dicatur; quid *Româ ipsâ* contentionum *causâ*, & *præmio* tunc factâ, ſtragibuſque in populum ab iiſdem barbaris latè datis, idque ſic ut *mons ille ardens*, utcunque hinc atque illinc petitus, quaſi incolumis adhuc maneret, ad interpretandos hoſce caſus accommodatius?

19. (3.) Si, poſt vehementiſſimas has contentiones de *Româ ipsâ* toties *petitâ*, toties *expugnatâ*, ſed & toties *liberatâ*, *ipſa* tandem *Roma* capiatur, diripiatur, & expiletur; ſi maximis cladibus pereant ubique *Romani*, ſi *Romanum ipſum Imperium* ſimul aboleatur, & quod *prius Pagano*, nunc & *Chriſtiano* pariter *degeneri facto*, peccatiſque ſuis graviſſimis divinam Vindictam *provocanti*, contigerit, ut quaſi funditus evertatur; Quid hæc mani-

festiùs illustrabit, quàm fatalis ille ipsius *imperii Romani* Exitus, quum quasi *stellâ magnâ* de cœlo cadente, non *imminui* tantùm, sed & *extingui* videretur *lux* illa omnis, *claritasque* Imperatorum, quæ non ita pridem *splendenti soli* comparabatur.

c *Apocal.* 8. v. 12, 13. 20. c *Si*, (+) *clangente quartâ Tubâ, tertia solis pars, Lunæque pariter, ac stellarum percutiatur, si tertia illorum pars obscuretur, dieique non luceat tertium ipsius partem, & nox similiter, atque visa sit & audita aquila volans in medio cœli, dicensque magnâ voce ter*, Væ, Væ, Væ, *habitantibus in terrâ, à cæteris vocibus Tubæ trium Angelorum, qui postea clangent.* Quid hoc meliùs interpretabitur, quàm *interregnum* illud, quod *dissoluto jam imperio* ad *Caroli magni* tempora, *i. e.* ad *imperatoris novi*, (qui tamen *imago* tantùm prioris esset,) creationem * erat duraturum?

21. Quòd verò *triplex Væ* Tubâ hac quartâ promulgatur, licet non nisi sub tribus sequentibus effectum suum sortiri debuerat, inde est nempe, quòd durante hac Tubâ, illi, (*Mahometanos volo*,) ad quos pertineret vindictæ divinæ sub *illis* denunciatæ *ministros esse fidissimos*, oriundi essent.

22. Quod & revera contigit, *Mahomete* ab anno 622. *Æram suam* incipiente; non longè quidem ab *ipsius Antichristi* ortu, quem ad annum circiter 445. *vel* 446. cum f *decem cornibus*, sive *totidem Regnis*, (in quæ tum distrahi cœpit *Romanum Imperium*) σύστοιχον esse oportebat.

f *Apocal.* 17. v. 12.

23. Atque hic me parumper sisto; postulante jam Argumenti ratione, ut, quum in *civili* æquè, ac *Ecclesiastico* statu *Antichristiana* fuerant omnia, atque quasi æquo passu *Superstitio & Idololatria*, (ne quas alias *Hominis peccati* notas memorem,) utrobique processerant, quorum *reatus unus* erat, eorum *pœnas* nequicquam disjungam.

24. Nec quidem facile disjungi queant, quum, quàm diversi cunque videantur rerum exitus, prout *civili*, aut *Ecclesiastico* statui adaptabantur, *eodem tamen temporis curriculo, iisdem instrumentis, eodemque fine* gesta sunt omnia.

25. Quippe unus, *idemque* divinæ vindictæ *scopus*, quo nimirum eadem impia Gens ad pœnitentiam vocetur; *iidem Saraceni*, per *quos* Justitiam suam vindicari vult *æquissimus* omnium Judex, atque *eadem inter secula*, quibus classicum cani *Reip.*, ac in *Ecclesiam* Phialas effundi, decreverat.

26. Quòd si, quæ *Tubæ* illius res erat, non totum illud temporis intervallum pertingat; quippe *cui tribui* tantùm potest, quod in *Italiâ ipsâ, reliquisque occidentalis imperii partibus* gesserunt *Saraceni*; at nonne sufficiet interim, si *Romani* iidem (liceat sic loqui,) ubicunque fuerant, aut quomodocunque plagarum earundem participes sese fecerant, easdem *Phialas iræ Dei* senserunt?

27. Sed ad *Antichristum*, quocunque *nomine*, aut *statu* ille dignoscendus sit, redeundum est; nec enim, quicquid alibi cavillantur incauti homines, fieri poterat, ut irruerent in *Christianos Saraceni*; nec dum *nasceretur Antichristus.*

---

* *Quod ad tertiam partem temporis, quod ab initio ipsius imperii* Romani *ad* Carolum magnum *intervenit, proximè accedit.*

28. Hinc

28. Hinc illud *Apocal.* 9. v. 4. ἵνα μὴ ἀδικήσωσι τὸν χόρτον τῆς γῆς, οὐδὲ πᾶν χλωρόν, οὐδὲ πᾶν δένδρον, εἰ μὴ τοὺς ἀνθρώπους μόνους, οἵτινες οὐκ ἔχουσι τὴν σφραγῖδα τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν, *Ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem,* nisi homines solos, qui *non habent,* sigillum Dei *in frontibus suis?*

29. Atque illud iterum, *Apocalyps* 16. v. 2. καὶ ἀπῆλθεν ὁ πρῶτος καὶ ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἐγένετο ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν εἰς τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἔχοντας τὸ χάραγμα τοῦ θηρίου, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας τῇ εἰκόνι αὐτοῦ. *Et abiit primus* [*Angelus,*] *& effudit phialam suam in terram, & factum est ulcus malum, & malignum in* homines habentes characterem Bestiæ, *& adorantes* imaginem ejus.

30. Et quis jam censeri potest *Antichristus,* si non *is,* quisquis sit, qui *signatur charactere Bestiæ,* & *adorat imaginem ejus?* aut *quis* tam obnoxius *plagis quibuscunque,* ac *is,* qui *sigillum Dei* in fronte suâ non habet? *i. e.* planè nihil, quo se ad ipsum pertinere, ejus Providentiæ, ac gratiæ commissum probet?

31. Et gloriare jam, Otrokocsi, cui Te adjunxeris, *non esse Antichristum*; suade Tibi *illum nondum venisse,* cujus adventus jam tot hinc secula *Bestiæ charactere* signatus est; Videas *illum,* in quem *Saraceni* irruisse nunquam poterant, nisi *sigillum* Dei de fronte suâ prius abjecisset; & videas tamen in *illum* intra limites *Occidentalis Imperii* bis irruentes, *Apocalyps.* 9. v. 1. ad 12. & à v. 13. ad 21. videas intra *Orientalis* limites cum *illo* bis commissos, *in primâ scilicet & secundâ* expeditione ad Terram sanctam, in quibus *secundam,* ac *tertiam Phialam* effundi, statuere nequicquam dubito. g *Fall of Babylon, p. 91. 96. &c.*

32. Gloriare iterum, Otrokocsi, Te deseruisse *eos,* quibus *Saraceni ipsi,* (Turcas volo) quàm *Romano-catholici aquiores sunt*; & ubicunque alibi *Character is* figendus, scias *tuos Hungaros, oppressos tuos cives,* eo ipso *oppressos,* quod *sigillo Dei* notantur, & eodem spero *tutos* adhuc fore, quicquid contra fremant *Antichristi* asseclæ; scias, inquam, *tuos Hungaros ab eodem* immunes esse, quum nullos unquam afflixerint *Mahometani,* (non illis potestas ea commissa fuit,) nisi *superstitione, & Idololatriâ, Authentico* quidem *Bestiæ charactere* inustos.

33. Sed pergo porro;

34. Si *Phiala super solem* effusa, *Apocal.* 16. 8. *ad Eclipsin illam,* quam *Imperator,* (novus quidem Imperator, nam veterem, vetusque imperium extingui tum, extinctumque jacere debere per aliquot secula supra ostendimus,) passurus erat, referenda sit; quid hoc evidentiùs explicabit, quàm quod contigit, *Gregorio Septimo Henricum quartum excommunicante,* atque sibi *creandi Imperatoris* potentiam omnem in posterum *arrogante.*

35. Dicitur quidem *secunda illa* Bestia ascendens è terrâ, (quam *Antichristum* esse consentiunt plerique interpretes) *habere cornua similia Agno, & loqui ut Draco,* Apocal. c. 13 v. 11. Quid adhuc *Agni* retinuit *Gregorius Septimus,* non satis capio; *Draconis tamen esse ejus Vocem* vix dubitabit quisquam, cui *formam* tantùm *Excommunicationis, quâ Imperatorem semel, iterumque* ferit, expendere vacabit.

36. Tam *peculiari* est *utraque stilo,* tam unius *Antichristi* ori *propria,* ut si alius nullus *ejus* character usquam conspiceretur, ex *hoc uno* satis pateret *venisse Antichristum.*

Formula

Formula Excommunicationis prima.

37. ‘[h] Beate *Petre* Apoſtolorum Princeps, inclina quæſo aures tuas, & ‘me ſervum tuum exaudi, quem & ab infantiâ educaſti, & uſque ad hunc ‘diem ab inimicorum manibus vindicaſti, qui me pro mea in Te Fide oderunt, & perſecuti ſunt; Tu mihi teſtis es Optimus, & pia Jeſu Chriſti Mater, & Frater tuus *Paulus*, tecum Martyrii particeps, me non ſponte, ſed ‘invitum Pontificatûs gubernacula ſuſcepiſſe. Non quod rapinam arbitratus ‘ſim, ſedem tuam legitimè conſcendere: ſed malebam vitam meam in Peregrinatione degere quam locum tuum pro fama & gloria tantum occupare: ‘fateor Ego, & merito quidem, mihi, tua gratia, non meritis meis, populi ‘Chriſtiani curam demandatam eſſe, commiſſamque ligandi & ſolvendi poteſtatem. Hac itaque fiducia fretus, pro dignitate & tutela Eccleſiæ tuæ ‘ſanctæ, Omnipotentis Dei nomine, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, *Henricum* Regem, *Henrici* quondam Imperatoris Filium, qui audacter nimium ‘& temerariè in Eccleſiam tuam manus injecit, Imperatoria Adminiſtratione, regiaque dejicio, & Chriſtianos omnes Imperio ſubjectos juramento ‘illo abſolvo, quo Fidem veris Regibus præſtare conſueverunt. Dignum ‘eſt enim ut is dignitate careat, qui Majeſtatem Eccleſiæ imminuere conatur. ‘Præterea verò monita mea, immo tua, ad ſui ipſius, populorumque ſalutem pertinentia contempſit: & ſe ab Eccleſia Dei, quam ſeditionibus peſſundare cupit, ſeparavit, eum Anathematis vinculis colligo, certò ſciens ‘Te eſſe *Petrum*, in cujus Petra, ut in vero fundamento, Rex noſter Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam.

[h] *Platin. p. 177. Magdeburg. Cent. XI. c. VIII. p. 425 Bronius ad An. 1076.*

Formula Excommunicationis ſecunda.

38. ‘[i] Beate *Petre* Apoſtolorum Princeps, & Tu *Paule* Gentium Doctor, ‘veſtras, quæſo, aures mihi paululum præbete, meque clementer exaudite: ‘Nam veritatis Diſcipuli eſtis, & Amatores: quæ dicam vera ſunt: Hanc cauſam ſuſcipio veritatis gratiâ, ut fratres mei, quorum ſalutem exopto, ‘mihi obſequentius acquieſcant, ſciant, intelligant, quod veſtro auxilio fretus poſt Chriſtum, & Matrem ejus ſemper Virginem, flagitioſis, & iniquis ‘reſiſto: Fidelibus autem præſto adſum, & auxilium fero. Non enim ‘libens, & volens hanc ſedem conſcendi, ſed invitus & lachrymans, quod ‘me indignum judicabam, qui tam in excelſo Throno ſederem: Hæc autem ‘dico, quia non Ego Vos, ſed Vos me elegiſtis, & graviſſimum pondus humeris noſtris impoſuiſtis. In me autem veſtro juſſu montem ipſum conſcendentem, clamantem, & annunciantem populis eorum ſcelera, & filiis ‘Eccleſiæ peccata, membra Diaboli conſurrexere, & ad Sanguinem uſque ‘manus ſuas in me conjecere: Aſtiterunt enim Reges Terræ, & Principes ‘ſeculi, cum his conjurarunt Eccleſiaſtici quidam, & Vulgares in Dominum, ‘& nos Chriſtos ejus, dicentes: Dirumpamus vincula eorum & projiciamus ‘à nobis jugum ipſorum: Hoc autem fecere, ut me vel morte vel exilio ‘mulctarent, quorum de numero fuit *Henricus*, quem Regem vocant, *Henricus*, inquam, *Henrici* Imperatoris filius, qui cornua & calcem contra Eccleſiam

[i] *Platin. p. 179. Magdeburg. Cent. XI. c. VIII. p. 433*

‘ Eccleſiam Dei ſuperbe nimium erexit, factâ conjuratione cum multis Epi-
‘ ſcopis *Italici*, *Germanici*, *Gallicique* nominis, cujus ſuperbiæ veſtra adhuc
‘ reſtitit Autoritas, qui fractus potius quam ad ſanitatem redactus, ad me in
‘ Ciſalpinam perveniens, abſolutionem Anathematis ſuppliciter quæſivit;
‘ Hunc ego, quem ad pœnitentiam veniſſe credideram, in gratiam recepi:
‘ huicque tantummodo communionem reddidi, non tamen in Regnum, è
‘ quo eum in Romana Synodo depuleram, reſtitui: nec Vectigalibus Regni,
‘ ut ad Fidem redirent, conceſſi. Hoc ideo feci, ut ſi redire in gratiam cum
‘ finitimis ſuis, quos ſemper vexaverat, differret, reddereque tum res Eccle-
‘ ſiaſticas tum profanas, ex fœdere abnueret, cogi ad Officium Execrationi-
‘ bus, & armis poſſet. Hac opportunitate adjuti quidam *Germaniæ* Epiſcopi
‘ & Principes, ab hac ferâ Beſtiâ diu vexati, in locum *Henrici* ſuis Flagitiis
‘ Regno cadentis, ducem ſuum *Rodulphum* diligunt: qui Regia modeſtia &
‘ integritate uſus, ſtatim nuncios ad me miſit, à quibus intelligerem ſe co-
‘ actum Regni gubernacula ſuſcipere; non eſſe tamen adeo regnandi cupi-
‘ dum, ut non malit nobis, quàm Regnum pollicentibus obtemperare; futu-
‘ rum ſe in Dei poteſtate ſemper, ac noſtrâ, idque ut arbitremur nos factu-
‘ rum, filios obſides pollicitus eſt. Stomachari tum *Henricus* cœpit, & nos
‘ primo quidem precari, ut *Rodolphum* ab occupatione Regni execrationibus
‘ propelleremus. Dixi me velle videre, cui jus competeret, & eo miſſurum
‘ nuncios, qui rem omnem reſciſcerent, meque deinceps judicaturum, Uter
‘ ipſorum in cauſa potior habendus eſſet. Vetuit *Henricus*, quo minus Rex
‘ à Legatis noſtris decerneretur, multoſque tum Seculares, tum Eccleſiaſticos
‘ interfecit, Eccleſias diripuit, & profanavit, atque hoc modo Anathematis
‘ vinculis ſeſe illigavit. Hanc ob rem fidens in Dei Judicio, & Miſericordiâ
‘ inque Patrocinio Beatæ Virginis, fultus etiam autoritate veſtrâ, ipſum *Hen-*
‘ *ricum*, ejuſque fautores, vinculo Anathematis colligo, atque iterum Re-
‘ giam poteſtatem ei adimo, interdicoque Chriſtianis omnibus illo juramento
‘ abſolutis, quo fides Regibus dari conſuevit; ne *Henrico* ulla in re obtem-
‘ perent, *Rudolphum* in Regem ſuſcipiant, quem multi Provinciæ Principes
‘ abrogato *Henrico*, in Regem Optimum ſibi delegere. Etenim par eſt, ut
‘ ſicuti *Henricus* ob ſuperbiam & contumaciam, facultatibus ſuis privatur,
‘ ita *Rudolphus* omnibus gratus, pro ſua Pietate, & Religione, Regia digni-
‘ tate, & poteſtate donetur. Agite igitur Apoſtolorum Sanctiſſimi Princpes,
‘ & quod dixi, veſtra autoritate interpoſita confimate: ut omnes nunc de-
‘ mum intelligant, ſi poteſtis in cœlo ligare, & ſolvere; in terra quoque im-
‘ peria, Regna, Principatus, & quicquid habere mortales poſſunt, auferre &
‘ dare nos poſſe. Si enim quæ ad Deum pertinent, judicare poteſtis, quid
‘ de his inferioribus, & profanis cenſendum eſt? Et ſi Angelos dominantes
‘ ſuperbis principibus veſtrum eſt judicare, quid in ſervos illorum vos debet
‘ facere? Ediſcant nunc Reges hujus Exemplo, & omnes ſeculi Principes,
‘ quid in cœlo poſſitis: quantique apud Deum ſitis, ac deinceps timeant
‘ Sanctæ Eccleſiæ mandata contemnere: Hoc autem judicium citò in *Hen-*
‘ *ricum* exercete, ut intelligant omnes iniquitatis filium non fortuito ſed
‘ veſtra opera è Regno cadere. Hoc tamen à vobis optaverim, ut Pœniten-
‘ tia ductus, in die judicii, veſtro rogatu gratiam à Domino conſequatur.

39. An

39. An verò *voce* solùm, an etiam *gestis Draconem* æmulatus sit * *Papa*, testetur *illud virus*, quod tam liberaliter evomere solebat in eos, qui nefariis ejus *consiliis*, *factisque* refragari vel minimùm ausi sunt; quomodo tractaverit *Imperatorem*, quem non dubitavit sic *fulminibus suis ferire*, non est cur pluribus exaggerem; quomodo ipse tractari meruit, ex *Patrum consulto*, prout id refert *Aventinus Annal. Boior.* l. V. p. 349, 350. judicare fas est; *Quod*, sceleribus aliquot, quorum reus erat, enumeratis, sic clauditur. 'Hasce 'ob causas Sanctissimus Imperator, Pontifices, Senatus, populusque Christi- 'anus illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, neque 'Oves Lupo committendas censent: *& paulo post p.* 352. plerique tum pri- 'vatim, tum publicè indignum facinus clamitant: pro concione *Gregorio* 'maledicunt, *Hildebrando* malè precantur? ipsum odio, atque libidine do- 'minandi præcipitem agi vociferantur, *Antichristum esse* prædicant, pietatis 'sub specie, (inquiunt,) debacchatur, honestis nominibus bonum publicum 'simulat, titulo Christi negotium *Antichristi* agitat: in Babyloniâ in Tem- 'plo Dei sedet, super omne id, quod colitur, extollitur, quasi Deus sit, se 'errare non posse gloriatur; in excolendâ gloriâ suâ, pertinaci spei, atque 'concupiscentiæ, Imperatoris suo arbitrio constituendi, se devovit: Homi- 'nes non, peccatis, sed lege Christi, atque Sacramentis solvit; pacem atque 'pietatem Religionis nostræ labefactat; Bello seditiones concitat; stupro, 'cædi, perjuriis, perfidiæ, rapinis, incendio indulget, &c.

40. Quoniam verò tibi tantopere adblandiris, Otrokocsi, quasi nondum *venisset Antichristus*, (& spero quidem brevi fore *ut non sit venturus*; an spem istiusmodi justè concipiam, priusquam operi huic coronidem imponam, Túte melius rescises,) placetne ergo, (si fortè, quæ hic, & alibi narrat *Aventinus*, minùs arrideant,) ad *Baronium* provocem, hoc ipso seculo, quo comparuit *Hildebrandus*, *Antichristum* expectari scribentem.

41. Sic se habet narratio ad Annum 1001. 'Annus Christi millesimus 'primus, quo novum seculum inchoatum est, nonnullorum vanâ assertione 'prænunciatus fuerat mundi postremus, vel ipsi propinquus; de quo vide- 'licet Abbo Floriacensis Abbas, Vir doctrinâ, & Sanctitate insignis, in li- 'bro Apologetico, quem ad Francorum Regem scripsit, testatus est, se cum 'adolescentulus esset, sermonem coram populo in Ecclesiâ Parisiorum audi- 'visse, quòd statim finito mille annorum numero *Antichristus* adveniret, & 'non longo post tempore, universale judicium succederet: & statim pòst.

42. 'Sed & ad ista credenda de adventu Christi, & fine mundi, satis esse 'videbantur Romanæ Ecclesiæ tot sæpe iterata naufragia, necnon corruptio 'morum, quam magnam valde hoc tempore fuisse in hominibus, præsertim 'Ecclesiasticis, Glaber ea videns deplorat: Insuper & quòd ferreum hoc se-

---

* Papam *necesse est nunc eum dicam, quum quo nihil poterat* Antichristi *genium magis referre, decreverit* Ipse *eodem illo anno, quo Excommunicaverat* k *Cap.* III. *Imperatorem*, viz. 1076. (k *quo anno superius ostendimus numerum* 666. (*qui par.* 8. *&c. Bestiæ numerus est,*) *compleri*) *in* Romano Concilio IV. *ut* Papæ nomen unicum esset in universo orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum, vel alium eo nomine appellare.

'culum

'culum ob malorum excreſcentiam, Autore Ditmaro, & diceretur, & revera 'eſſet; quod videlicet, (ut ait Glaber) deficeret religioſitas Pontificum, & 'marceſceret diſtrictio regularis Abbatum, ſimulque Monaſterialis diſciplinæ 'Vigor tepeſceret, ac per illorum Exempla, cætera plebs mandatorum Dei 'prævaricatrix exiſteret.

43. Et poſteà ad Annum 1106. *Paſchalis Papa* rogatus à Conventu Moguntino in Galliam Ciſalpinam properare; itineri ſe committens, ob ſparſam famam de proximo *Antichriſti* adventu, Florentiæ ſubſtitit: & mox ſic.

44. 'Quod verò pertinet ad *Antichriſtum*; fuit quidem opinio non vul- 'garium virorum, eum hoc fore ſeculo revelandum, & inter alios Norberti, 'Viri temporis hujus famâ celeberrimi; à quo id ſe audiviſſe teſtatur [k] S. *Ber-* 'nardus Epiſtolâ ad Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum. [k] *Bernard. Epiſt. 56.*

45. Et ſi forte poſt Pontificios, aliorum quoque Authoritas hic valeat, Quid hic aptiùs afferri poteſt, quàm tractatus ille, qui Anno 1120. quorundam Fidelium nomine emiſſus eſt *de Antichriſto*; annum, quo primùm in lucem prodiit, quaſi de induſtriâ in fronte præferens, hiſce verbis; *Qual coſa ſia l' Antichriſt, en datte del' an mille cent & vigint*, unà *cum Symbolo tali*; *ſicut fumus* præcedit ignem, Victoriam pugna; ſic & gloriam Chriſti tentatio *Antichriſti.*

46. Liber ille Manuſcriptus eſt, atque in integrum à me datus in Libro inſcripto *the Fall of Babylon*; quem hìc quoque dediſſe non gravarer, ſi non putâſſem ſatis eſſe ad præſens argumentum, Epitomen exhibuiſſe; *quæ verbis his* Clariſſimus Medus p. 721. concinnavit.

47. 'In hoc Libro admonentur fideles *Antichriſtum illum* Magnum 'jamdudum veniſſe; fruſtra adhuc expectari; eſſe jam Dei permiſſione ætate 'provectum;

48. 'Præſentem rei Eccleſiaſticæ ſtatum, Pſeudo-prophetarum regimine, '& mendaciorum miniſtris conſtantem, unà cum populis ei in errore 'ſubditis:

49. 'Qui utraque poteſtate armati, aliiſque omnibus ad errorem fundan- 'dum, latéque provehendum præſidiis inſtructi, ſub ſpecioſo ſponſæ Chriſti 'titulo, cultûſque & Sanctimoniæ Chriſtianæ larvâ, viam ſalutis per Chri- 'ſtum mundo annunciatam fraudulentis erroribus & damnationis doctrinis 'oppugnent; Chriſti meritis, gratiæ & officio Mediatorio derogent; Uni 'Deoque Chriſtoque debita, ſibi, Creaturis, hominumque operibus adſcribant; 'Sanctos, ſanctaſque numinum vice colant; Reliquiis, imaginibuſque divinam 'venerationem deferant; Euchariſtiam pro Deo, ipſoque Jeſu Chriſto ado- 'rent; verbo, Chriſtianitatis titulo re ipſa Idololatriam exerceant; denique, 'in Dei amantes, & vera Chriſti membra odiis & perſecutionibus ſæviant.

50. 'Hunc hominum ſtatum (non ſingularem hominem) eſſe *Antichri-* 'ſtum, Meretricem Babylonicam, quartam *Beſtiam Danielis* (nempe in ſtatu 'ejus noviſſimo, ut dictum eſt) hominem illum peccati, & filium perditionis, 'qui extollitur ſuper omnem Deum, [l] ita ut in Templo Dei, id eſt, Eccleſiâ [l] *2 Theſſ. 2.* 'ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus; qui jam venit in omni genere ſe- 'ductionis & mendaciis in iis qui pereunt.

51. 'Quapropter ſe ab hoc Iniquitatis Myſterio, ſicut mandavit Deus, 'ſeceſſionem facere tam intrinſece, quam extrinſece, hortarique omnes, qui-

'bus Deus Opt. Max. eandem veritatem revelaverit, ut idem ſecum facerent, 'Civitatique Sanctæ Jeruſalem, veritati Chriſti, & ſponſæ ipſius perpuſillæ 'ſeſe adjungerent.

52. 'Quem in finem ſe jam Mundo notum facere, qualis ſit ipſorum cœ-'tus & quas habuerint ſeceſſionis ſuæ cauſas.

53. Hæc ſcripti illius ſumma eſt, quod Providentiâ Dei ad noſtra uſque tempora ſervârant Reliquiæ *Waldenſium Alpinorum*, à quibus acceptum typis, non ità pridem vulgavit ex antiquo Manuſcripto Joannes Paulus Perrin in [m] Hiſt. *Waldenſ. & Albigenſ. Gallica.* Videſis eum, Lib. I. cap. 7. & parte tertiâ (quæ de doctrinâ & diſciplinâ *Waldenſium* agit) Lib. III.

m *Quam Anglicè vertit Samſon Lennardus, an.* 1624.

54. Et poſt ipſum Joannes Legerus idem edidit, & Gallicè vertit, quod & Ego [n] *Anglicè* dedi, fortaſſis etiam & *Latinè* (quum neſciam an ſic adhuc extet, & maximi momenti ſit, ut innoteſcat omnibus) *ad hujus operis calcem daturus.*

n *Fall of Babylon.*

55. Interim ex hoc, puto, ſatis conſtabit, tum *veniſſe Antichriſtum*; quum non *hoc ſolo, ſolenni quidem* & ſatis *memorabili Teſtimonio*; ſed, quod longè *efficacius* videtur, *ſanguine ſuo* in veritatis cauſâ tam *liberè fuſo*, cum illo, tum ſequentibus ſeculis teſtati ſunt [o] *Waldenſes*, & *etiamnum* teſtantur.

o *Vaudois.*

56. Quòd verò quodam quaſi communi claſſico excitati *Waldenſes* hi, ſive *Albigenſes*, aut *aliis quibuſcumque nominibus*, ab *Eccleſiâ Romanâ tum*, & *poſtea ſeceſſionem fecerunt*; eam eſſe *Babylonem illam Apocalypticam, Matrem Scortationum, & Abominationem terræ, mirabili plane conſenſu, & conſtantiâ denunciantes*; quòd *ingentem perſecutionem* ſtatim exortam fortiſſimè tolerârunt; quòd, quum integri exercitus adverſus eos ducti fuerant, tantaque ſtrages, (priuſquam ceſſatum eſt) edita, ut per *Galliam ſolam*, ſi *Paulus Perionius* in ejus Belli hiſtoriâ rectè calculum inierit, occiſi ſint ad *decies centena* hominum *millia, infracti* ſemper *perſtiterunt*; quæ poteſt eſſe major aut *Antichriſti* ipſius nati, *deſævientiſque* ut *Draconis*, aut *Teſtium* adverſus ipſum à Deo miſſorum, probatio?

57. Eccui, niſi *Beſtiæ illi tanta immanitas*, & quibus, niſi *ſanctis* tam *victrix, triumphatrixque* patientia?

58. Dixit Spiritus S. (uti ſupra ſatis obſervatum eſt,) expirante *imperio Romano, cui* ſuccedere debuerat *iſta Beſtia*, Apocalyps. c. 13. v. 10. ὧδε ἐστὶν ἡ ὑπομονὴ καὶ ἡ πίστις τῶν ἁγίων, *Hic eſt patientia, & fides Sanctorum*! quatenus jam *utrique ſub eodem exercitæ*, merces juxta, lauſque reponeretur, *hoſtibus* ipſorum *tam gravibus* exitio dandis; dixitque iterum, (caveant ſibi *adorantes Beſtiam, & imaginem* ejus, caveant *accipientes characterem nominis ejus*: Apocal. c. 14. v. 11.) *hic eſt patientia Sanctorum*, Apocal. c. 14. v. 12. *hic cuſtodientes mandata Dei, & fidem Jeſu.*

59. Non tam fortean longè abeſt *illud* tempus, quum *hoc* quoque interpretationem ſuam habiturum eſt, ut putares eum *nondum veniſſe*, qui, non modò *falcem* jam *immiſſam ſenſit, ad metendam meſſem Terræ*, ſed ad Vindemiandum quoque ejus Botros ſenſurus ſit, v. 15. 18. Id tantùm cogita Tecum, (Otrokocſi,) an in eo velis ſpem tuam omnem terminari; ut in idem Tu deferaris *Torcular*, eidem Tu *prælo* ſubjiciaris?

60. Sed non obliviſci debeo, unde hæc exorſa ſit Oratio; nimirum ex occaſione *Phialæ quartæ* in *ſolem* effuſæ, me huc perveniſſe, adeóque

que jam ad *tres primas* Phialas, quas illic prætermiſi, redeundum :

61. Dictum quidem eſt [n] ſuperiùs, ex eo probari poſſe *Antichriſtum veniſſe*, quòd *incurſiones* ſuas in *Imperium*, ſive *Eccleſiam Romanam* fecerant *Mahometani*; quod, niſi *nato Antichriſto*, non *poterat fieri*; quoniam quæ *ipſis commiſſa eſt potentia*, Apocalyps. c. 9. v. 4. non niſi adverſus *illos* exerceri poterat, *qui non haberent ſigillum Dei in frontibus ſuis*; cui adjeci etiam, *Phialam primam* quoque non effundendam fuiſſe, niſi in *illos*, *qui haberent characterem Beſtiæ*, & *adorarent imaginem ejus* : Unde & illud quoque *ad Mahometanos*, *eorumque incurſiones pertinere*, quâ *Eccleſiam* ſpectent, prout aliæ *Imperium* ſpectabant, nunc ulteriùs aſſero : n *Par.* 27, 28, 29, 30, 31, 32.

62. Hoc autem, quantum ad tempus, quando iſta contigiſſe debuerant; puto intra Annum Chriſti 820. & 830. non malè ſtatui debere; quippe quo tempore [o] *Hiſpaniam*, *Calabriam*, *Apuliam*, atque *Italiæ ipſius maximam partem* poſſederant, non inde *ablegandi* ante annum 980. *i. e.* non ante annum centeſimum, quinquageſimum; quod temporis intervallum *quinque menſibus*, ſive *diebus* 150. *propheticis*, totidem *annos* ſignificantibus, æquiparatur; quam diu quoque dicitur [p] datum fuiſſe *illis*, ut *cruciarent eos*; & *cruciatus eorum*, ut *cruciatus ſcorpii*. o *Petav. Ration. Tempor. p.* 1. *l.* 8. *p.* 389. p *Apocal. c.* 9. *v.* 5.

63. Nec mirum eſſe debet, ſi, quos ad *vindicandam Idololatriam* excitavit Deus, uti, ex prædicto loco *Apocalyps.* c. 9. v. 4. cum *Apocalyps.* c. 16. v. 2. collato, *Mahometanos* conſtat eſſe excitatos; non ſolùm intra limites *Occidentalis Imperii* continerent ſeſe, ſed, prout res poſtea poſtulavit, in *Orientale* pariter deſævirent: nec id niſi ſecundum proprium, & primarium quaſi *Mahomedis* Principium, quod referente *Elmachino* [q] illud erat : روض عباده الاصنام *deſtruxit cultum Idolorum* : Hoc tamen diſcrimine, quod ad *ſuperſtitionem* ſeriùs deficiente Oriente, ſeriùs ad ipſum pœna pervenit. q *Hiſtor. Saracen. p.* 3.

64. Pervenit tamen tandem, proh quum funeſta! quum ad complendam Apoſtolicæ Prophetiæ partem alteram, [r] ὁ υἱὸς ἀπωλείας *filius perditionis*, Hebraicè אבדון, Græce ὁ Ἀπολλύων, (quæ c. III. par. 4. ad *Mahometen* ſpectare oſtendi,) Conſtantinopolin cepit, expilavit, evertit: ſed hæc obiter. r *Theſſal. Ep.* 2. *c.* 2. *v.* 3.

65. Proxima, quæ effuſa eſt *Phiala*, dicitur in [s] *Mare effundi*, v. 30. eo ſenſu, ut opinor, quo *per Mare*, ſive *Aquas*, populi, turbæ, gentes, & linguæ, (Spiritu ipſo interpretante [t]) intelliguntur: quòd verò dicitur, καὶ ἐγένετο αἷμα ὡς νεκροῦ καὶ πᾶσα ψυχὴ ζωῆς ἀπέθανεν ἐν τῇ θαλάσσῃ· *Et ſanguis factus eſt, tanquam mortui, & omnis anima vivens moriebatur in Mari*: quid hoc expreſſiùs explicabit, quam *immenſa* illa *ſanguinis effuſio*, quæ indictâ per Urbanum II. *Expeditione in terram ſanctam*, Ann. 1095. tot gentes quaſi indiſcriminatim cruentavit? s *Apocal. c.* 8. *v.* 8. t *Apocal. c.* 17. *v.* 15.

66. Tertia dein. Phiala in *fluvios*, *& fontes aquarum*, effunditur v. 4. καὶ ἐγένετο αἷμα, *& factus eſt ſanguis* : per fontes aquarum, quidni *Reges*, *& Principes*? per *fluvios*, partem tantùm *iſtius Maris*, vel minores *quoſdam quaſi canales* aquarum inde derivatos intelligeremus? quòd autem & hi *dicuntur ſanguis fieri*, quid *eventui iſti* magis reſpondebit, quàm *ſecunda Expeditio* ad eandem Terram ſanctam anno 1146. parata, Hortante Bernardo; niſi hanc deferri potius volumus *Cæleſtino*, anno 1195?

67. Grave quidem utrumque divinæ vindictæ documentum! idque quâ

cùm *populos* ſtragibus tam miſerè datos, tum *Principes ipſos*, Coronis, & Regnis tuis ex occaſione belli ſpoliatos, ſummis malis juſtiſſimè illa affecit.

68. Nec à plagis his eximent ſeſe *homines* iſti, qui *Charactere Beſtiæ* ſignati ſunt, quòd bella hæc intulerunt *ipſi Saracenis*, adeóque, ſi rerum geſtarum *ſcenam* ſpectemus, pertinere videbuntur ad ipſos, quorum *in Terrâ* triſtiſſimæ iſtæ clades contigerunt; quum ſi quis *mortis* reus ſit, ſi quis, quem *divina* ira *eidem* addixerit, perinde eſt, ſub quâ parte cœli ſepulchrum *illi* aperiatur.

69. Aut, quoniam *Occidentales* hic ſe primùm movebant, quoniam ad ipſos cauſa, & initium belli referendum; quid intereſt, quantum ad gravitatem ſupplicii, alienis quis, an ſuis ſibi manibus conſciſcat mortem?

70. Immò eſt & hic ipſe non minimus *Judicii* gradus, quòd *in exitium* ſe quiſquam *temerariè* præcipitaverit.

71. Nec ſe pœnâ magis, quàm reatu liberabit *Homo peccati*, quòd, etiam *elevando & exaltando* ſe, graviori tantum lapſu ruat. Satis, ſuperque nobis eſt, ad probandum *Antichriſtum* jam veniſſe, quocunque demum modo in *interitum* vadat. *Apocalypſ.* c. 17. v. 14.

72. Atque in *hunc* illum *vadere*, vel *properare* potius, patebit ex ſequentibus *Phialis*; quarum proxima, quum in *ſedem Beſtiæ* effundenda fuerat, *Apocalypſ.* c. 16. v. 10. Quid hanc magis appoſitè interpretabitur, quàm quod inter Annum 1305. & 1379. evenit, quum *Papa ipſe* Româ exul Avenionem migravit, ibique per Annos 74. Sedit, Romamque tandem redux non ita ſtatim recuperavit ſeſe; quin Italis Epiſcopis *ipſi* adhærentibus, Galli *alium* nihilominus conſecrarunt; immò in tale monſtrum *abiit Eccleſiæ iſtius*, quam jactare ſolet, *Unitas*, ut & aliquando quoque, tribus Papis (Romæ uno, altero Avenioni, tertio Piſæ) ſimul exiſtentibus, non niſi *Triceps* diceretur.

73. Sed non Te fortè iſta tangunt, Otrokocſi, nec quomodo olim *ſede ſuâ* deturbatus ſit *Antichriſtus*, tam Tibi curæ eſt, quàm quomodo Tu hodie ſub *illo tuam* figas; at quam *duras Tibi partes* dediſti, INFORTUNATE FORIS, non alter Tibi *domum* quæſiturus, quàm reſarciendo *ejus* ruinas, quam non ſemel tantùm *deteri*, ſed *labi*, *cadere*, & in *perditionem vadere* ſempiternam, recognoviſſe potius oportuerat.

74. Et ſpero, brevi recognoſces; ſaltem perpenſo, quid *ſub ſextâ Phiala* (de quâ ſequenti capite) jam evenit, aut proxime eventurum ſit; non poſſe ab interitu longè abeſſe *Antichriſtum*, vix, aut ne vix ultrà dubitaveris.

CAP. VII.

De ſextâ Phialâ, *necnon* Tubâ ſextâ, *magnâ ex parte illi coævâ*; utramque *ad* Mahometanos, *&* Antichriſtum *pertinere*; *Et quis ſive* Phialæ illius, *ſive* Tubæ *eventus jam* fuerat, *aut ſit adhuc* expectandus.

1. DIctum eſt jam capite V. par. 21. *Triplex Væ* ſub *Tubâ quartâ* promulgari; licet non niſi ſub *tribus ſequentibus* effectum ſuum ſortiri debuerat; idque inde eſſe, quòd *durante Illâ Tubâ*, Mahometani, (ad quos pertineret

pertineret Vindictæ divinæ, ſub *illis* denunciatæ, *miniſtros eſſe fidiſſimos*,) oriundi eſſent; in interregno ſcilicet illo, * quod ab anno plus minus 455. ad annum 800. durabat, plurimas imperii partes, † invaſuri; Atque tunc temporis, (quod *quintæ Tubæ* negotium erat) invaſiſſe illos *Occidentale Imperium, hominesque* ſigillum Dei in frontibus ſuis non habentes in annos *centum & quinquaginta*, miſerè divexaſſe, ſtrictim tantùm oſtendimus; ad ea ſtatim tranſeuntes, quæ *Phialam* quartam ſpectabant; quippe quæ inter quartam ac quintam *Tubam* intervenit, adeoque illic fuerat tractanda; nec tamen rite tractari poterat *quarta*, niſi *tribus prioribus memoratis*; quarum *prima* quidem non οὐσιωδῶς tantùm erat, ſed planè *eadem* cum *primâ Tubâ*, mutato ſolùm *rerum*, & *perſonarum* ſchemate; alterâ *civilem ſtatum*, *Eccleſiaſticum* reſpiciente alterâ; quâ de causâ, obiter *tres primas* quoque cap. V. par. 29,30, 31, 32. perſtrinximus; *quartâque* aliqualiter explicatâ, ad *quintam porrò Phialam* deſcendimus; Utpote quæ *ipſa* etiam ante *quintæ Tubæ ſonitum* locum eſſet habitura.

2. Quòd ſi nec *ſingulæ Phialæ*, ſic per ſe effuſæ erant, ut *totæ*, & *integræ Phialæ* ſibi ad amuſſim ſuccederent, adeóque nova nulla Phiala effundenda eſſet, priuſquam, præcedens quæcunque fuerat, penitùs compleretur; non ex eo *aut ordinem Phialarum*, aut *ſeriem eventuum* interverti temerè exiſtimandum eſt; quum, quæ divinorum Judiciorum ratio eſſe poterat, non neceſſùm erat, ceſsâſſe prorſus, aut amoveri hoc, aut illud Judicium, antequam novum redintegretur; immò *ex naturâ rei*, i. e. *peccati*, ſæpe ſequitur, ubi pœnitentia non agitur, *peccatorem* pluribus ſimul urgeri Judiciis:

3. Quod eo dictum velim, ne quis *quartam Phialam*, quæ ſuper *ſolem* effundenda erat, (quod ad Imperii imminutionem, quum Imperatorem primus excommunicavit Papa, *viz.* Gregorius ſeptimus, Anno 1076. referendum eſſe ſupra ſtatui, Cap. V. par. 34.) *ſecundâ*, *& tertiâ* priorem eſſe cenſeat; quia nimirum *Expeditiones* ad terram ſanctam non ante annum (uti prius obſervatum eſt, 1095. c. VI. par. 65.) ſuſceptæ ſunt; adeoque videantur hac poſteriores. Quoniam, licet ante illum annum non *effectum* ſuum ſortiebantur, prius tamen de his agitatum eſt, *viz.* Anno 1003. Sylveſtro II. claſſicum pro Bello ſacro primùm canente; atque ſemel agitato hoc, quod tum cœptum videatur, ad *ſecundam* æquè, ac *primam Expeditionem* pertinere judicetur; quum licet revera *diſtinctæ fuerant Expeditiones*, *diſtinctiſque Conſiliis*, *& Decretis* pendebant, continuata tamen fuit *eadem cauſa*, iidem adverſarii, eademque Belli ſcena; unde, nec immerito, rerum continuò ſic ſuccedentium, continua quoque prædictio, & narratio; quòd ſi *quarta* illa *Phiala* hic revera inteceſſerit, Perſonis tamen, rebus, & duratione, (quippe quæ ad minimum, annum [a] 1346. pertigiſſe dicatur,) diſtinguenda, non ſine ratione ſummâ poſt *Expeditionem utramque* ad terram ſanctam numeretur.

[a] *Fall of Babylon, p.* 105.

---

* *Sic tempus illud nomino, quo, licet* alii Reges *ſuccreverant*, Imperium tamen ipſum *vacabat*. † *Secundum quod prædictum erat* Danielis *c.* 11. *v.* 40. *& in* ובעת עץ יתנגח עמו מלך הנגב *tempore finis cornu impetet eum Rex Auſtri*, &c.

4. Quibus

4. Quibus de *Phialarum* harum ordine, (quatenus, *Tubæ quintæ* coævæ ſunt habendæ, cumque illâ, *Antichriſtum* ſimul ſpectent,) obſervatis, poſitiſque; pergo nunc ad *Tubam ſextam*, *Phialamque ſextam*, *cujus utriuſque diſquiſitioni* pariter, ac *Comparationi*, quod ſupereſt hujus capitis, in integrum deſtinavi.

5. Atque hic, ut in *tribus primis Phialis*, necnon & in *quintâ Tubâ*, de *Mahometanis* iterum erit dicendum; quippe quos *ſexta Tuba* quidem *unicè*, *ſexta* verò *Phiala primariò* deſignare videatur.

6. Ordior à *ſextâ Tubâ*, quæ ſic ſe habet: Apocalypſ. c. 9. v. 13. *Et ſextus Angelus clanxit, & audivi vocem unam ex quatuor cornibus Altaris aurei, quod coram Deo*, v. 14. *dicentem ſexto Angelo, qui habebat Tubam, ſolve quatuor Angelos Alligatos in flumine magno Euphrate*: v. 15. *& ſolvebantur quatuor Angeli parati in horam, & diem, & menſem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum*; v. 16. *& numerus exercituum Equi, myriades myriadum*; *audivi numerum eorum*, v. 17. *& ita vidi equos in Viſione, & ſedentes ſuper eos, habentes loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas, & capita equorum, tanquam capita leonum, & de oribus ipſorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.* v. 18. *A tribus plagis his occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & fumo, & ſulphure, procedentibus ex oribus ipſorum.* v. 19. *Nam poteſtas equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum, nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita & in his nocent.* v. 20. *Et cæteri hominum, qui non occiſi ſunt in plagis his, non pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, ut non adorent dæmonia, & ſimulachra aurea & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare*: v. 21. *Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſuâ, neque à furtis ſuis.*

7. Quinam ſint *quatuor illi Angeli*, in *Euphrate alligati*, quos *ſextus Angelus* ſolvere jubetur, & *quando ſoluti ſunt*, hic erit primò diſcutiendum; Hos autem, ſi perpendamus tantùm, quàm (1.) *numeroſus erat illorum Equitatus*, (2.) *quali armorum genere inſtructi*, (3.) *quæ Equorum ſimilitudo*, (4.) *quæ poteſtas ipſis in ore, & caudis*, (5.) *quid ipſorum os & caudæ referebant*, (6.) *qualia in ipſis caudis capita*, & (7.) *quibus porrò vim ſuam intentabant, atque* (8.) *unde prodibant*, Mahometanos *eſſe vix poſſumus dubitare.* Quod autem *Angeli dicuntur*, id de Miniſterio illorum, per quod *divinæ Providentiæ* tam paratiſſimè deſerviebant, quàm propriè intelligendum eſt?

8. De *numero* tantùm *Angelorum horum* ſola reſtat difficultas, quæ tamen nulla prorſus erit, ſi repetamus tantùm, quando ad *Euphraten alligati* fuiſſe dicantur, & *quomodo inde ſoluti.*

9. Alligati *ad Euphraten*, vel in Euphrate, *i. e.* intra fluminis iſtius limites, quâquâ extenſos, videntur Anno Hegiræ 449. *i. e.* Chriſti 1057. tunc enim, (referente *Elmachino* Hiſtorico Arabe, quo nemo temporum momenta accuratiùs annotavit,) 'Togrulbecus Salghucides Turcarum Prin-'ceps, (hic eſt, qui noſtris Tangrolipix dicitur ex familiâ Zelzuccia) captâ 'Regiâ Urbe Bagdado, à *Calipha* Cajimo Biamrillâ veſte Imperiali indutus, 'atque inauguratus erat'; unde, quaſi ſolenni quopiam calculo notatur

ipſorum

ipſorum *tranſmigratio*, ad quam, *Solimanno* in ultimâ Expeditione Hieroſolymitanâ devicto, planè coacti ſunt; ibidem permanſuri, donec, qui hic ad *Horam*, & *diem*, & *menſem*, & *annum*, (ex computo Prophetico ad annos 396.) *parati eſſe dicuntur*, ad opus illud, quod in *Tubâ hac* illis aſſignatur, iterum eſſent *revocandi*.

10. *Alligatos* tunc fuiſſe *Angelos hos quatuor in Euphrate* conjicimus, quoniam ſub idem tempus in totidem *Sultanias*, ſeu Regna, (cùm primùm *trajecto Euphrate*, *in vicinos Aſiæ*, *& Syriæ tractus* ſeſe effudiſſent) diſpertiebantur.

11. ‘ *Sultaniæ*, ſeu Regna, (ex Scilice Autore Græco, ſic hæc enumerante ‘ *Chriſtophoro Richerio* de *Origine Turcarum*,) Aſianum, Alepienſe, Dama-‘ ſcenum, & Antiochenum erant; ſed cum Regnum illud Antiochenum, ut ‘ ab Euphrate paulò remotius, ita non niſi quatuordecim annis duraverit, ‘ Antiochenâ ſtatim, Boamundo duce, à noſtris captâ; eo expuncto, Impe-‘ rium Bagdadenſe, ſeu Perſicum ab alterâ Euphratis ripâ, (nam *Scilix* ‘ tantùm *Turcarum*, qui Euphratem trajecerant, rationem habuit,) quater-‘ nario complendo, malim cum Medo ſubſtituere; ut ita Imperium Tur-‘ cicum univerſum, ultrà, citraque Euphratem, in quatuor iſtas *Sultanias* ‘ diviſum intelligatur.

12. Ut ut autem iſte *Sultaniarum* quaternio, ad tempus *laxationis* integer non permanſerit, ſed varias mutationum vices ſubierit; ſufficiet tamen *eas* ſic diſtingui, quum hic primùm coercerentur; & quidem, quum *iidem* ſint ſuo tempore revocandi, *qui* tum iſthic ablegabantur, non eſt cur aliter nominentur; quum ſi pro variis mutationum vicibus, ſtylus quoque fuiſſet mutatus, neç de *perſonis ipſis* ad hoc opus *paratis*, nec de *divinâ Providentiâ* ad idem illos deſignante, ſatis conſtitiſſet.

13. Sit exemplo *Euphrates ipſe*, cujus quidem oræ *aliis* atque *aliis aquis* quotidie alluuntur, immò &, quæ furentis æſtûs vis eſt, quod ab alterâ ripâ demitur, continuò accreſcit alteri; quin & nec canalem ipſum aqua eadem hodie perfluit, quæ illic dilapſa eſt heri; nec tamen quiſquam aut alium eſſe fluvium hodie, quàm heri, aut aliam fere aquam dubitat; Et cur non populi ripis illius contermini, quaſcunque decurſu temporis mutationes aliter ſubire queant, eodem jure iidem eſſe cenſeantur?

14. Hoc autem ſic conſtituto, *Saracenos*, ſive *Turcas* hic intelligi, de illis id ulterius obiter annoto; ſive *Saracenorum*, ſive *Turcarum* nomine ſignificentur, idem eſſe utrumque hoc cum illo, quod ſub *priori Tubâ*, ſive *Væ primo* illis inditur, v. 11. Quippe Voces Arabicæ, ترکی vel سرکی unde horum Origo, *vagum*, *latronem*, *furem*, & *vaſtatorem* denotant, quibus quàm affinia ſunt אברון & Απολλύων, quis non ſatis videt?

15. Atqui ſi minus *nominum*, *rei* tamen ratio poſtulat, ut ad Turcas, quæ hujus *Tubæ* ſunt, referantur; quum iiſdem *Idololatris*, v. 20. quibus priùs v. 4. ſub *priori Tubâ*, hic claſſicum canatur.

16. Et ſi, quod *ſextæ hujus Tubæ* argumentum eſt, cum iis, quæ ſub *ſextâ Phialâ*, eventura dicuntur, conferatur; reperiemus profectò cùm *hanc*, tum *illam*, ad *eoſdem Turcas*, *eundemque Antichriſtum* ut plurimum pertinere; licet quantum ad *Tempus*, quo utraque ſuum ſortitura eſſet effectum, parum diſcriminis eſſe, erit fatendum.

17. *Tuba*

17. *Tuba quippe ſexta*, ex illo, quod à *ſolutione Angelorum* initium habet, ad ea nos ducet, quæ, ſimulac *ſoluti* ſunt, *Angeli* illi geſſerunt; videntur autem ea eſſe, 'quæ, (*Caliphatu Bagdadenſi* jam à *Tartaris* Anno 1258. 'extincto, & *Turcarum* reliquiis, qui ab alterâ Euphratis ripâ rerum in 'Perſide huc uſque potiti fuerant, ab iiſdem Anno 1289. quaſi ex fundâ, 'in regiones Romanas cis Euphratem ejectis,) contigiſſe legimus'. Sed ita tamen, ut, licet illi tum erant *ſoluti*, *cladis tamen Conſtantinopolitanæ tempus, per diem, menſem, annum*, i. e. Annos 396. ab oraculo deſignari putem:

18. Nec illud, ut opinor, ſine cauſâ; quum non tam neceſſum erat, ut ab ipſo *ſolutionis* Articulo, calculus ille iniret, quàm ab illo, quo primùm alligati ſunt Angeli, *i. e.* ſic à *Deo amandati*, ut ab omni *vi, atque injuriâ* iiſdem inferendâ, quos tam truculenter pridem vulnerârant, quaſi in carceribus cohiberentur.

19. *Phiala verò ſexta*, quanquam *eoſdem Turcas* reſpiciat, quum tamen iſtiuſmodi calculum, viz. *Diei, menſis, & anni*, nullum habeat, non ad illud tempus revocanda eſt; quum *Angeli* illi primùm *alligabantur in Euphrate*, ſed quum jam diu *ad Euphratem* ſiti, inde erant evocandi, juſtoque Dei judicio ſedibus iis, quas jam multos annos occuparant, deturbandi: Eſſe enim *hanc* unam è *Phialis iræ Dei* meminiſſe debemus, adeóque tanquam pœnam quidem graviſſimam in eos effundi, licet poſtea lætius ſucceſſerunt omnia, quum in alios, *Orientales* primùm, dein & *Occidentales*, *fœderis ſui* ultionem ipſis mandaverat.

20. Atque hoc videtur illud eſſe, quod habetur *Danielis* c. 11. v. 40. *Et in tempore finis cornibus impetet eum Rex Auſtri*; (Hoc tum factum erat, quum *Mahometani* prius invaſerant Imperium Romanum, ab *Auſtro* prodeuntes, unde & *Regis Auſtri* titulus,) ושרעה עליו מלך הצפון & *inſtar turbinis irruet in ipſum Rex Aquilonis*, (eadem quidem gens, aut populus, ſic tamen à diverſis *ſedibus quas* habuerant, primò quidem *ad Auſtrum*, tandem autem *ad Aquilonem*, (quum ad *Euphratem* amandarentur,) diſtincti,) *in curru, & in equitibus, & in navibus multis, & ingredietur in terras, & inundabit, & tranſibit.* Sic quippe poſt *captam, direptam, ſpoliatam Conſtantinopolin*, in Europam trajecere, varias ejus *Regiones*, *aut terras* cum curribus & equitibus incurſantes.

21. Et verò, ſi (quæ tum geſſerat *Muhammedes* II. qui eo ipſo anno, quem ſic prædixerat ſacra pagina, anno *viz.* 1453. obſedit, & *Maii* 29. feriâ tertiâ, *Conſtantinopolin* expugnavit,) paululùm expendamus, quàm juſtum habebimus *Danielis*, æquè ac *Joannis* Commentarium?

b *Petav. Ration. Temp. par. I. L. 10. c. 7.*

22. 'b Duo quippe evertit Chriſtianorum imperia: Nam præter Conſtan-'tinopolitanum, Trapezuntinum quoque cum Colchide in ſuam poteſtatem 'tranſtulit; ad hæc, Regna 12. Urbes 200. expugnâſſe fertur; Corinthum, 'Lemnon, Mitylenam, Eubœam Venetis eripuit; Genuenſibus Theodoſiam, 'ſeu Capham, Rhodum fruſtra tentavit, Hydruntum in Italiâ cepit': Et ne plura addam, aperuit viam ſucceſſibus illis, quos ab eo tempore proſperos habuerunt *Mahometani.*

23. Et ſi, quo armorum apparatu, quibus belli machinis ad hæc omnia uſus ſit, ſcire velimus; id nos docebit Chalcocondylas, De *Rebus Turcicis*, L. VIII. Rex [Mechmetes in Expeditione contra Byzantium] machinas plurimas

plurimas Urbi admovit, alias undique per Castra dispergens, harum duæ [b] λίθον ἕκαστος ἠφίεσαν διτάλαντον καὶ ἐπέκεινα, *emittebant singulæ lapidem, qui duo talenta & amplius pendebat.* Sed & alia fuit, 'tantæ molis, ut à septuaginta 'jugis boum, & hominibus bis mille trahenda fuerit; cujus tonitru tantum 'fuisse traditum est, ut finitima regio usque ad quadraginta stadia concutere-'tur; Hæc Bombarda interdiu septem ejaculabatur globos; noctu unum, qui 'diei signum erat, & indicabat ubinam eo die globos torqueri oporteret'. * In obsidione Corinthi, dicitur Pondus Globi unius fuisse ad septem [c] Talenta: de quo sic ultra Chalcocondylas: οἱ μέντοι τηλεβόλοι, καὶ τοῦτο τὸ τεῖχος ἐπὶ ἡμέρας ἱκανὰς ἔπαιον, καὶ κατέβαλλον μέρος ἐκ ὀλίγον: 'Murum istum percusserunt Bombardæ 'illæ aliquot diebus, partemque ejus diruerunt non modicam. Interea cum 'Bombardis muris quassaretur, globus unus aberravit, & in pistrinum dela-'tus est; quod & comminuit penitus; Hinc in altum surgens cecidit forte 'in hominem quendam, cujus carnem & ossa in mille minutissimas partes con-'trivit, adeò ut πτεροῖς ὄρνιθος alis avis assimilaretur; tantus scilicet erat globi 'impetus, ubi semel emissus fuerit, ut miracula operaretur: & cum non atti-'gisset murum, in altum evectus, urbemque transvolans ceciderit in Navale 'Corinthiorum, cum peregisset cursum quatuordecim stadiorum.

b *Chalcocondyl. de reb. Turc. p.* 204.

* *Chalcocondyl. de reb. Turc. p.* 240.

c *Talentum apud Suidam* 125. *librarum pondus.*

24. Quin iisdem annis ab *Amurathe Mechmetis* hujus patre, isthmus Peloponnesiacus quoque expugnatus est, & Peloponnesiaci mandata facere coacti: à *Mechmete* autem ipso, statim post *captam Constantinopolin*, vi hac ignivomâ expugnatâ Corintho, penitus subjugati sunt.

25. Novum quidem tum erat, & ante *hanc Tubam* quasi *incognitum hoc armorum genus*, quibus *hostes isti* Euphratæi statim post *solutionem* suam utebantur; Bombardas [Τηλεβόλους] intelligo, [d] *ignem, fumum, & sulphur* evomentes: Pulvis quippe Bombardicus talis est, quali qui in bello utuntur, hostium sese sensibus ingerunt, quasi *loricis igneis, hyacinthinis, & sulphureis* obtectos; unde quoque & *Equorum* capita truci, & terribili specie cernuntur, quasi *leonum*, ex quorum *ore, ignis, fumus & sulphur*, ex adverso intuentibus prodire videbantur. Quòd verò potestas eorum *in caudis* dicatur esse, (αἱ γὰρ οὐραὶ αὐτῶν ὅμοιαι ὄφεσιν, ἔχουσαι κεφαλὰς, καὶ ἐν αὐταῖς ἀδικοῦσι, *nam caudæ eorum similes serpentibus, & in his nocent* v. 19.) cur non hoc de gladiis Turcicis intelligatur, serpentum stimulos, & capita referentibus?

d *Apocal. c.* 9. *v.* 17.

26. Sed non est cur his diutius immorer; quum eo tempore, quod *Tubæ* huic, *Phialæque* assignatum est, *Turcas* sic *irruptiones suas* in Asiam, atque Europam fecisse notissimum sit; nec minus notum in *eos*, qui *Characterem Bestiæ habuerunt, & adorârunt imaginem ejus, arma semper intentâsse.*

27. Quod *Elmachinus* de *Muhammede* loquens, sic narrat; Hist. Saracen. pag. 3. *viz.* 'Publicatâ Vocatione, [*Muhammedes*] jussit credere in solum 'Deum, eumque colere, & adorare, destruxitque Idolorum cultum, *&c.* atque 'eos, qui hæc non observabant قاتله وحاربه bello vexabat, & oppugnavit.

28. An verò *Charactere* illo signari mereantur, in quos *Phiala* hæc effundenda erat, patebit è versibus 13, 14. καὶ εἶδον ἐκ τοῦ στόματος τοῦ Δράκοντος, καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ θηρίου, καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ ψευδοπροφήτου πνεύματα τρία ἀκάθαρτα ὡς βάτραχοι, εἰσὶ γὰρ πνεύματα δαιμόνων ποιοῦντα σημεῖα, ἃ ἐκπορεύεται ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς οἰκουμένης ὅλης, συναγαγεῖν αὐτοὺς εἰς τὸν πόλεμον τῆς ἡμέρας ἐκείνης τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος. *Et vidi de ore Draconis, & de ore Bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ Spiritus tres immundos,*

mundos, ut Ranæ [*ſunt*]: *ſunt enim Spiritus Dæmoniorum facientes ſigna, qui procedunt ad reges totius Orbis, congregare illos in prælium diei illius magnæ Dei Omnipotentis.*

29. Characterem illum jam nunc memoratum, *Beſtiæ* ſc. & *adorantium imaginem ejus*, ad *illos* reſtringi, *adverſus quos Mahometanis* poteſtas aliqua commiſſa fuit, ſupra dictum eſt, Cap. V. par. 32. Quâ de causâ, ſuppoſito, *eundem Characterem* ad eos pertinere, in quos non *prima* ſolùm, ſed & *ſecunda*, & *tertia*, immò & *cæteræ omnes Phialæ*, effundendæ erant; in *ſecundâ*, & *tertiâ Mahometanos*, tanquam juſtos *Dei Vindices*, reduxi; nec poſt intercapedinem *quartæ*, & *quintæ Phialæ*, (quibus durantibus *Hos ad Euphratem* amandaverat miſericors Deus, experturus, ſi forte plagâ hac amotâ, pœnitentiam agerent,) iterum revocatos eſſe dubito; quò ab illis, qui, ἐβλασφήμησαν τὸν Θεὸν τοῦ οὐρανοῦ ἐκ τῶν πόνων αὐτῶν, καὶ ἐκ τῶν ἑλκῶν αὐτῶν, καὶ οὐ μετενόησαν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν. *Blaſphemaverant Deum cœli præ laboribus ſuis, & præ vulneribus ſuis*, (quorum ipſi ſibi videbantur cauſæ fuiſſe, eſt enim ea vis vocis αὐτῶν,) *& non egerant pœnitentiam*, pœnas tandem graviores exigerent; &, quæ *Phialæ hujus ſextæ* non videtur eſſe minima pars, *funeſtiſſimo illorum exitio* viam aperirent. v. 12, 14, 16.

30. Nec enim phraſibus illis v. 12. (1.) *Ut præpararetur via Regum ab ortu ſolis*, v. 14. (2.) *ad congregandos eos in prælium diei illius magnæ Dei Omnipotentis*, v. 16. (3.) *Et congregavit eos in locum vocatum Hebraicè Armageddon*; minus quid ſignificari conjicio.

31. An verò nunc *Antichriſtus ille Romanus* hic deſignetur, an etiam quid *Phialæ hujus* tempore reverà geſſerunt *Mahometani*, quod his reſpondeat, jam eſt dicendum.

32. Deſignari hic *Antichriſtum Romanum*, ex collatione eorum, quæ jam dicta ſunt Cap. V. & Cap. VI. ſatis patebit; nec ergo ulterius quicquam hic adjiciendum erit, niſi *eundem* eſſe *hunc Draconem*, quem *Apocalypſ.* c. 13. v. 2. 4. *eandem eſſe hanc Beſtiam*, quam *Apocalypſ.* c. 13. v. 11. habemus: *Draco* autem ille, *ad Romanum Imperium*, *Beſtia illa ad Antichriſtum* ſpectabit.

33. Quod hic ergo reſtat maximi momenti, id eſt ſcilicet; ut quid *Phialæ hujus tempore* jam geſſerunt, aut etiamnum geſturi ſunt *Mahometani*, paucis edicatur.

34. Dictum eſt Angelo, *Apocalypſ.* c. 9. v. 14. *Solve quatuor Angelos alligatos in flumine magno Euphrate*, & v. 15. *Soluti ſunt quatuor Angeli*, parati *in horam, & diem, & menſem, & annum*; Horam *illam, diem, menſem, & annum*, par. 21. exiiſſe, eo ipſo *articulo* Temporis, quo Mechmetes obſedit, & expugnavit Conſtantinopolin; iniiſſe vero *ealculum* illum à quo illuc devenitur, Anno Hegiræ 449. *i. e.* Chriſti 1057. par 9. jam nunc oſtendimus: unde numerantes 396. (qui *diei, menſis ac anni* numerus eſt, ſecundum illud [e] *Ezekielis* c. 4. v. 6. יום לשנה יום לשנה *Diem in annum, diem in annum dedi Tibi,*) in *annum* 1453. incidimus, tam inſigni illâ clade, ſimul & *imperii ipſius orientalis* everſione *memorabilem.*

e *Numb.* 14. v. 34.

35. Quid ab illo tempore, aut circiter, geſtum ab illis fuit; *quæ* ceſſerunt ipſis in Europâ *Regna*, *Regiones*, *Inſulæ*; *quas* in *Africâ* dederunt *clades*; *quas* terra ac mari reportarunt, *Victoriæ*; *quas* proſperis obſidionibus

bus cinxerunt, *Urbes*, ſat efficaci documento ſunt; & quid adhuc *Regno Pontificio* inferre poſſint; *cogitet quiſquam cordatus teſtor, qui* quid ſit, *Regibus Orientis viam præparari*; quid *ad prælium diei illius magnæ Dei Omnipotentis congregari*, quid præcipuè, *congregari in locum vocatum Hebraicè Armageddon*, [*in exitium extremum, ſive Anathema Exciſionis,* חרמה & גדון, vel in unâ voce חרמגדון, ſi forte vox illa ſic ſignificet,] complecti animo aliqualiter valeat! *lector*

36. Mihi certè præſagire videntur illa grandius, & magis terribile quid, quàm adhuc vidit *Antichriſtianus Orbis*; quippe cujus *iniquitatis* [f] menſurâ tum implerâ, pœnarum quoque menſuram impleri oportebit. f *Matt.* 23. *v.* 33.

37. Et quò quidem aliò tendere putentur, *quæ* jam audivimus, [g] *prælia, & ſeditiones? quas Gentes in Gentes inſurgentes, & regna adverſus regna? quos terræ motus magnos in variis locis; quas fames, ac peſtes, quos terrores, quæ ſigna de cœlo magna* vidimus? niſi ut moneantur tandem peccatores, nihil eos jam manere, præter [h] φοβερὰν τινα ἐκδοχὴν κρίσεως, *tremendam quandam expectationem judicii*, cui *graviſſima iſta* tantùm præludunt? g *Luc.* 21. *v.* 9, 10, 11. *Apocal.* 11. *v.* 13, 14. *Apocal.* 16. *v.* 18. h *Hebr.* 10. *v.* 27.

38. Aut *quæ non mala, quas non belli calamitates* imminere iis pluſquam ſuſpicemur, quibus *tot his Tubis claſſicum cecinerit* Exercituum Dominus?

39. Optandum profectò eſſet, ut *pactæ* etiam in præſens *induciæ, ingruentis quoque gravioris* belli, non futuræ ſint *certiori præſagio.*

40. [i] Ἀπόδοτε αὐτῇ ὡς καὶ αὐτὴ ἀπέδωκεν ὑμῖν, καὶ διπλώσατε αὐτῇ διπλᾶ κατὰ τὰ ἔργα αὐτῆς· ἐν τῷ ποτηρίῳ ᾧ ἐκέρασε, κεράσατε αὐτῇ διπλᾶ. ὅσα ἐδόξασεν ἑαυτὴν, καὶ ἐστρηνίασε, τοσοῦτον δότε αὐτῇ βασανισμόν. ὅτι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς λέγει· ὅτι κάθημαι βασίλισσα, καὶ χήρα οὐκ εἰμὶ, καὶ πένθος οὐ μὴ ἴδω. διὰ τοῦτο ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξουσιν αἱ πληγαὶ αὐτῆς, θάνατος, καὶ πένθος καὶ λιμὸς, καὶ ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται· ὅτι ἰσχυρὸς κύριος ὁ Θεὸς ὁ κρίνας αὐτήν. *Reddite, inquit Spiritus S. illi, ſicut ipſa reddidit vobis, & duplicate ei duplicia ſecundum opera ejus; in poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum; in quantum glorificavit ſeipſam, & in deliciis vixit, tantum date ei cruciatum; quia in corde ſuo dicit, quia ſedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo; propter hoc in uno die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & in igne comburetur, quoniam fortis eſt Dominus Deus judicans ipſam.* i *Apocal.* 18. *v.* 6, 7, 8.

41. Vis, quam verè ſentio, (pene dicturus eram, ſcio,) Tibi rem ipſam aperiam, Otrokocſi; Non eſt forte in univerſâ *Apocalypſi, textus aliquis*, quem magis reformidet [k] *Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ, quàm quem hic legis*; nec *in quo* magis ſeriò triumphet afflictus & jacens *Dei* populus. ὅτι ἐκολλήθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐμνημόνευσεν αὐτῆς ὁ Θεὸς τὰ ἀδικήματα αὐτῆς; [l] *quoniam pertigerunt peccata ejus uſque ad cœlum, & recordatus eſt Deus peccata ejus*; (αὐτῆς emphaſeos cauſâ bis repetito,) *nec meretricis, nec ſcortationum ejus obliviſcetur.* [m] ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πέπωκε πάντα τὰ ἔθνη, καὶ βασιλεῖς τῆς γῆς μετ' αὐτῆς ἐπόρνευσαν, καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν. *Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illâ fornicati ſunt, & mercatores terræ ex potentiâ luxus ejus ditati ſunt.* k *Apocal.* 17. *v.* 5. l *Apocal.* 18. *v.* 5. m *v.* 2.

42. Nunquam profectò tempus aliquod fuerat, quo luxui magis indulgebat *ipſa Meretrix*; nunquam, quo *Reges terræ* ſic cum *ipſâ* in deliciis ætatulam agere videbantur; nunquam, quo *Mercatores terræ* majori ſibi lucro fore ſperabant, quod cum *ipſâ* in his commercium habuerunt. Viderint, an

non hoc sit illud ipsum, quod legitur *Apocalyps.* c. 11. v. 10. & *habitantes super terram gaudebunt, super illis* [duobus sc. testibus,] quorum cadavera tres dies & dimidium jacebunt *in plateâ civitatis magnæ*; quæ tamen [illi] de *populis, & tribubus, & linguis, & gentibus non sinent poni in monumentis*, (poterat indigitari *ipse articulus temporis*, quando *dierum illorum calculus* iniit; poterant & *Populi, tribus, linguæ, Gentes* demonstrari; sit Principibus ipsorum sempiterna laus, vivat apud *ipsum* eorum nomen, *cujus* membra *sic depressa*, sed & *resurrectura*, fovent, ac tuentur!) *& lætabuntur, & munera mittent alii aliis*; Viderint inquam, annon hoc sit, quod ibidem legitur; Nec enim *quovis fere unquam sæculo, aut quacunque* demum *occasione, talia ac tanta Gaudii communis indicia* prodiderunt, *tot sibi invicem conservatæ quasi Reip. gratulationes*, atque *honorarias legationes* decreverunt, *tot ac tanta munera* miserunt *Reges terræ*:

n *ver.* 11. 43. Sed quàm *inani*, ac *irrito conatu* omnia, si sint *isthæc ipsa*, non nisi [n] *Spiritûs vitæ à Deo ipsis adfuturi* præsagia? si *stantes*, vel saltem *in pedes suos stare incipientes* ostendat, *quo* jam deprimuntur, *tristissimus casus*? *timorisque magni in eos cadentis, qui videbunt eos, omini tantum, prologo, & proœmio* sint, *quibus* jam (aut nuper) tantopere lætantur, exultantque, *afflictorum clades*.

o *Apocal.* 18. *v.* 4. 44. Nolim Tibi, Otrokocsi, quæ *Antichristo* impendent, mala denunciare; nolim [o] *Te peccatorum* ejus participem, ne de *plagis* quoque ejus accipias. Vox de cœlo audita est, ἐξέλθατε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου· *Exite ex illâ* [Babylone] *Populus meus*; Exi, FORIS, exi cum populo Dei è Babylone; Non Te satis

P *Apocal.* 18. *v.* 2. terret [P] καὶ οἰκητήριον δαιμόνων, *Dæmoniorum habitatio*? qualis dicitur esse v. 2. adeóne *castæ puræque* animæ placet φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτου, *Custodia omnis Spiritûs immundi*? adeóne *felix, ac fausta* videtur φυλακὴ παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου καὶ μεμισημένου, *Custodia omnis volucris immundæ atque exosæ*? Talem esse *Babylonem*, sive quâ *peccatis impurissimis*, sive quâ *ruinis* devotam recognoscas tantùm, dicasque tum, an vel *tuâ* vel *cujusquam alterius* interesse queat, in jus, mancipiumque tam *turpissimæ Dominæ* transcribi?

q *Cap.* III. *par.* 1. &c. 45. Quòd si nondum credas *Antichristum* advenisse, si (1.) nec [q] *ablatum*, quod *obstabat Romanum Imperium*, cui succrescere prædicitur; (2.) nec inde

r *Cap.* IV. *par.* 1. &c. *succrescens ille*, sic ut prædictum erat; Si sic (3.) [r] ad *Thessal.* Ep. 2. c. 2. *Apocal.* c. 13. v. 11. &c. *Daniel.* c. 11. v. 36. &c. graphicè depictus est, ut

s *Cap.* IV. *par.* 8. &c. nisi qui illic depingitur, *Antichristus* esse nullus possit; (4.) nec præter [s] illum *Romæ* descriptionem illam quisquam impleat; nec (5.) impleverit hanc *ille ipse*

t *Cap.* IV. *par.* 6, 12. &c. [t] alio quopiam tempore, quàm *quo illum nasci, adolescere*, & ad *maturam ætatem perveniße* supra ostensum est, atque (6.) illo *ipso tempore* [u] *Antichristum*

u *Cap.* V. *par.* 39. *venisse* quasi bonorum omnium *Una vox* erat; Si nihil Te horum moveat, nec *videre* vis, nec *audire*, nec *intelligere*, quæ tamen non potes non

x *Cap.* V. *par.* 29. &c. *videre, audire, & intelligere*: Si nec [x] *Character Bestiæ Asseclarum illius frontibus* manifestimè impressus, nec, quò non putes diutius *nec esse, nec*

y *Cap.* V. *fuisse illum Romæ*, [y] *tot* illic *effusæ Phialæ*; *tot* illic *clangentes* Tubæ *uni Antichristo* propriæ, quicquam persuadere valeant; rogatum Te tantùm velim, quid tum sensisti, quando Te cum *reverendis fratribus* ad triremes

z *Apocal.* 13. *v.* 15. ablegârent Pontificii; quid sentire jam putas *reformatos tuos cives*, quos [z] *Bestiæ imaginem* colere recusantes, Heu quæ non ejus manet crudelitas!

a *Apocal.* 12. *v.* 3. Aut sanguinem tantum cujus est sitire, nisi [a] *Rufi Draconis*? aut potest,

etiam

etiam *illa Religio, alia* eſſe, quam *Antichriſtiana*, adverſus *cujus ſævitiam* etiam apud *Mahometanos* quærendum erit Aſylum ?

46. Nec enim aliâ de causâ eſt, quòd ad *infideles ipſos, ſic* nuper, tanquam ad *aram* confugere ſunt coacti *tui Hungari* ; Proh pudor, dolorque ! poſſe ad *Barbarorum aras* miſericordiam, humanitatemque, ad Chriſtianorum, non poſſe ſperari ! poſſe illic liberari *ſupplices*, hic tantùm ceu *gratiſſimas* litari *victimas* !

47. Sed quoniam dictum eſt *Apocalypſ.* c. 18. v. 6. *reddite illi*, (*Babyloni ſc.* v. 2. ſive mulieri, *quæ civitas illa magna eſt, habens regnum ſuper Reges terræ*, quam Romam eſſe in confeſſo eſt : *Apocalypſ.* c. 17. v. 18.) *ſicut ipſa reddidit vobis, duplicate ei duplicia ſecundùm opera ejus ; in poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum* : & ſtatim poſtea, v. 8. διὰ τοῦτο ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξουσιν αἱ πληγαὶ αὐτῆς, θάνατος, καὶ πένθος, καὶ λιμός, καὶ ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται· ὅτι ἰσχυρὸς κύριος ὁ Θεὸς ὁ κρίνας αὐτήν· *Propter hoc in uno die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & in igne comburetur, quia fortis Dominus Deus judicans illam.* Quoniam *certa* ſunt *hæc omnia, eodem forti Domino* Deo ea *perficere* volente, qui & *prædixit* ; quoniam *dies ſtatus, fixuſque* videtur, quando iſta evenient ; qui *ſit ille unus dies*, & quando tandem *elucebit*, liceat paucis diſquirere, & quidem diſquirentes, *Antichriſtum* non longè ab *interitu* fore deprehendemus.

48. Hoc quò clariùs appareat, neceſſe eſt,

49. (1.) *Tempus regno ejus præfinitum*, dein

50. (2.) Et *Temporis iſtius initium*,

51. (3.) Et *finem* ſtatuamus.

52. (1.) *Tempus regno Antichriſti* præfinitum, jurante Angelo, *Apocal.* 10. v. 6. non ultra *ſeptem tonitruum*, v. 4. vel *ſeptem Angelorum* Voces, v. 7. perduraturum dicitur ; quod idem *intervallum*, jurante prius Angelo, *Daniel.* c. 12. v. 7. per *Tempus, tempora & dimidium temporis*, qui pariter calculus reponitur, *Apocal.* c. 12. v. 14. exprimitur ; & ne dubitemus, cui alii ille σύζυγος ſit, v. 6. ejuſdem capitis, de *eadem muliere* ſermone habito, dicitur, locum *illi in deſerto præparari in mille, ducentos & ſexaginta dies*, quem dierum numerum Angelus prius dederat *Apocal.* c. 11. v. 3. numero *quadraginta* duorum menſium æqualem. *ibid.* v. 2. Qui ſinguli calculi nihil aliud ſunt, quàm alia, atque alia repetitio *calculi ejuſdem* primitùs dati, *Daniel.* c. 7. v. 25. Ubi de *cornu illo*, per quod *Antichriſtum* intelligi omnes fere conſentiunt, ſic loquitur Spiritus S. ומלין לצד עליא ימלל & *ſermones loquetur ex parte altiſſimi* ويتكلم على العلى كلاما *adverſus altiſſimum verba obloquetur* : & *ſermones contra excelſum loquetur*, Vulg. Lat. & *Sanctos altiſſimi conteret & putabit mutare tempora & legem, & tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora & diviſionem temporis* :

53. (2.) Quod *ad Temporis iſtius* initium attinet, cùm Daniel, *tum* Joannes *diſertè declarant*, Daniel. c. 7. v. 24. *Porrò cornua decem ex ipſo Regno, decem Reges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Joannes c. 17. v. 12. *Et decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui Regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam Reges* μίαν ὥραν *unam horam accipient, cum Beſtiâ* : Poſt *ipſos*

nimirum

nimirum consurgere debuit *Antichristus*, *i. e.* circa annum 455. quando contigit dilaceratio Imperii in totidem Reges : *eandem horam* cum Antichristo potestatem suam accipere debuerunt Reges, *i. e.* sive quoad Originem, sive quoad durationem cum illo simul regnaturi.

54. Quin & alias quoque notas, ex rei eventu certissimas tradit Spiritus S. quum nimirum (1.) *exterius templi Atrium daretur Ethnicis*, Apocalyps. c. 11. v. 2. quum (2.) *Testes duo* prophetarent amicti saccis, v. 3. (3.) quum *mulier circumamicta sole & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, fugeret in desertum*, Apocal. c. 12. v. 1, 6, 14.

55. Jam verò, (3.) si *calculi singuli* jam nunc *positi, mille ducentos & sexaginta annos* significent, sic enim Prophetici numeri computantur, (*diem in annum, diem in annum*, dedi Tibi, *Ezek.* c. 4. v. 6.) non ita difficile videbitur *ex initio de fine* conjicere : id tantùm considerandum erit, quales annos, quales menses, (ex quibus anni illi conficientur,) *æquales*, an *inæquales* intelligamus.

56. Et quidem sese inter se *calculi* illi *varii* optimè restringunt; quum sive in *menses*, sive *in annos resolvendi sint dies*, justus ille eorum numerus ponitur, qui nec *hos*, nec *illos* præfinitum suum stadium excedere permittet.

57. Unde sibi hic satisfacere volenti, operæ pretium erit, calculum hunc excutere ; nec dubitet is, quisquis id rectè præstiterit, ad *eum* se *annum, annique partem*, quasi *filo certo* ducendum, ubi periodus sua *Antichristo* ponetur.

58. Nec, si forte, ubicunque sic ducetur, votis ejus omnia respondere minùs videantur, *desperet statim de Rep.*, putetque se in *errorem* abduci ; quum, quod in *Chronicis morbis* plerumque contingit, non minus certò, quia *paulatim*, expirare *moribundos* ; satis est, si quicunque illi calculus sese offeret, *crisin suam extremam* subiisse, vel subiturum invenerit *Antichristum* ; Non necesse est ut *totus* simul, semelque intereat ; immò, ne sic intereat, videtur *ipsa* cavisse *prophetia* ; quæ finito *Testium* Testimonio, *Apocal.* c. 11. v. 7. (finiri autem testimonium illud nequit, nisi ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς φωνῆς τοῦ ἑβδόμου ἀγγέλου, ὅταν μέλλῃ σαλπίζειν, c. 4. v. 7. *in diebus vocis septimi Angeli, quum ille clangere incipiet*, (si voci detur venia, reddi debuerit, *clangturus* erit,) *tres adhuc dies, & dimidium, Bestiæ ascendenti ex Abysso, bellaque cum Testibus gesturo, illosque victuro, atque occisuro*, c. 11. v. 8. nec non *cadaveribus eorum in platea magna civitatis, quæ spiritualiter vocatur Sodoma, & Ægyptus, ubi etiam Dominus noster crucifixus est*, [jacentibus] *destinavit*.

59. Id tantùm penitiùs expendat, an (quia extremum adhuc trahat Spiritum *Antichristus*) certa tamen & deleteria mortis *ipsum* non urgeant symptomata ; an quoniam *sonante septimo Angelo* dicitur, τελεσθῇ τὸ μυστήριον τοῦ Θεοῦ, c. 10. v. 7. *& Phialam suam quoque effundente septimo Angelo*, γέγονεν ; illic quidem *consummabitur Mysterium Dei*, Hic quasi voci illi accinens, *factum est* ; non restent tamen etiam tum, *socia* quædam, si non *prænuncia* Fati signa?

60. Seriò ergo secum perpendat, (ne se morâ istiusmodi falli sentiat,) An quid forte *Terræ-motûs illius magni* senserit aut audiverit, οἷος οὐκ ἐγένετο ἀφ' οὗ οἱ ἄνθρωποι ἐγένοντο ἐπὶ τῆς γῆς, τηλικοῦτος σεισμὸς οὕτω μέγας, *qualis non factus est, ex quo homines facti sunt super terram, talis terræ-motus sic magnus* ; Apocal. c. 16. v. 18.

61. Perpen-

61. Perpendat, an forte quid viderit, aut quoquam alio modo perceperit unquam, per quod ἀστραπαὶ, φωναὶ, βρονταὶ, καὶ χάλαζα μεγάλη, *Fulgura, voces, tonitura, & grando magna* ſpeciem ſui animo ejus ingeſſerunt?

62. Perpendat, an meminerit illius temporis, quum *qui habitant in terrâ, gaudebant ſuper illos & luxui indulgebant, & mittebant munera alii aliis, quoniam hi duo Prophetæ* [Teſtes] *cruciaverunt habitantes ſuper terram*, v. 10.

63. Perpendat, an *illi de populis, Tribubus, Linguis, & Gentibus videntes illorum cadavera, non ſiverunt poni in monumentis?* v. 9.

64. Perpendat denique, an *Spiritus vitæ de Deo intrare forte in eos inceperit, inceperintque ſtare ſuper pedes ſuos?* v. 11. Hæc, aut *horum aliquid*, ſi forte *viderit*, aut *viſurus ſit*; ſi præcipue *timorem magnum ſpectantibus ipſos* incuti perſenſerit, ſciat tunc *imminere, adeſſe, confieri omnia, quæ ruentem, perditum, conclamatumque Antichriſtum* apertiſſimè declarent.

65. Atque his de *Antichriſto* dictis, ſi non in eâ mecum (Otrokocſi) ſententiâ ſis, *ſingula hæc* ei *convenire*; eouſque tamen, uti ſpero, nonnulla horum concedes *Antichriſto* eſſe propria, *ut an venerit, necne*, in quem *iſta* quadrent, non ſit ampliùs dubitandum.

66. Hoc autem conceſſo, non erat cur aut *Luthero*, aut cuiquam alii *reformandi ſtudium* exprobrares; Quod proximi Capitis argumentum erit.

Cap. VII.

Nec Luthero, *nec* cuiquam *alii Reformandi* ſtudium *exprobrandum eſſe.*

1. PUram, *Sanctamque à Redemtore* noſtro Optimo *Religionem* inſtitui, *talemque* conſervari debere, nemo eſt, opinor, qui ſe *Chriſtianum* dici cupit, cui non hoc in confeſſo eſt; non *Te ipſum* aliter tum ſenſiſſe, *Otrokocſi*, ſuſpicor, quum ad remos relegatus, *puritatem, ſanctitatemque illius* (hoc quoque *Servatorem* imitatus,) *de navigio prædicabas.*

2. Et quidem quò facit *perfectiſſima Dei Lex*? quò, ſi fieri poſſit, *perfectior*, certè *clarior Evangelii Regula*? Quò *cultûs divini ſublimis illa norma* [a] *Spiritu tantùm & veritate* conſiſtens? Quò ad efficacia illa vitæ internæ principia, *Fidem, ſc. & Charitatem* revocata omnia? [a] Joan. 4. v. 24.

3. Patientur hæc nos aut erga Deum *minùs ſynceros*, aut erga proximum, noſque ipſos *minus cautos*, ac *ſolicitos eſſe*? aut, quî *ſyncerum* erga *Deum, legemque* illius *amorem, honoremque*? quî erga nos aut proximum *curam, affectumque verum* præſtare poterimus, ſi *mandata* illius *omnia, neglectui atque deſpicatui* haberi; *noſtram, aliorumque ſalutem æternam, ocioſo*, ne dicam, *maligno* animo, peſſum ire, ac quotidie labefactari ſinemus?

4. Meminerimus ergo, quis dixerit, לא תשנא את אחיך בלבבך הוכיח תוכיח את עמיתך ולא תשא עליו חטא: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, corripiendo corripies proximum tuum, & non feres* [ſines] *ſuper ipſum*

ipsum peccatum: Levit. c. 19. v. 17. atque iterum, Quis jusserit, *ne quid pollutum tangamus*, Isaiæ c. 52. v. 11. סורו סורו צאו משם טמא אל תגעו צאו מתוכה הברו נשאי כלי יהוה: *Recedite, recedite, exite inde, pollutum ne tangatis, exite de medio ejus, purificate vos ferentes vasa Domini.*

5. Poteratne quid vchementius præcipi, quàm quod sic iterum, iterumque geminatur? est quidem hic ille ipse locus, ad quem respicere videtur *Apostolus* ad *Corinth.* Ep. 2. c. 6. v. 17. Διὸ ἐξέλθετε ἐκ μέσου αὐτῶν, καὶ ἀφορίσθητε, λέγει κύριος, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε: *Ideò exite de medio illorum, & separamini, dicit dominus, & immundum ne attingite*:

6. Locum utrumque ideò hic affero, *è vetere instrumento alterum, è novo alterum, utrumque* communiter *omnibus* traditum, quò *scrupulum illum* anticipem, *qui* solet hic moveri, quasi quæ ad *Reformationem quoquo modo spectant, ad clerum, magistratumque Christianum unicè pertinerent*:

7. Quæ, inquam ad *Reformationem* quoquo modo spectant: Quod quidem perinde est, ac si nec liceret *privato cuiquam* esse *bono, ac pio*; quasi nec *privato alicui*, quis *Deo cultus*, quæ proximo ac sibi debeantur *officia*, præstare permitteretur; nisi *in hæc*, quibus *Reip.* aut *Ecclesiæ* cura committitur, ubique consentiant.

8. Quid ergo? Si forte contaminet *Ecclesiam Idololatria*, *Remp. genus omne improbitatis* deturpet, an nec *Idololatriam*, nec *improbitatem* devitabit *privatus Christianus*? an utriusque *particeps erit*, nec *communionem illam* fugiet, in quâ *innocens* & salvus esse non potest.

9. Sed *Schismatis* illi inuretur macula, quisquis *Communionem illam*, sic fugiet; & *inuratur*, licet; at viderint *illi* potius, qui sic *separare* se *bonos, piosque* cogunt, an in *ipsos*, an *illos* labes illa verè inveterascet; viderint, an *is* potius, qui à *corruptâ, improbâ, Idololatricâ se communione*, an *ii*, qui à *Deo, Christo, Spirituque S.* sese separant, *Schismatici* dici mereantur.

10. Nolim profectò, quod *ordini*, & *bono sive Ecclesiæ, sive Reip. regimini* detrimento sit, quoquam pacto insinuare; Novi, *quæ* utrique debeatur *reverentia*; at si sic ubique parendum esset Christianis, si quas, ut ut duras, impiasque leges alterutra ferret, (ferri enim aliquando tales satis testantur omnes omnium historiæ,) sine *tergiversatione quacunque* admittendæ sint; Quis *veritati, virtutive* oppressæ? quis *honori ipsi divino* sacrilegè impetito? quis *Religioni*, (quam tamen non nisi cum *conditione crucis* Baptizati omnes nos amplecti profitemur,) *asserendæ*? quis unquam *Martyrio* foret locus?

11. Quòd si sic *asserenda* sit *Religio*, ut etiam *exercenda* sit; si quod *uni* liceat, licuerit & *pluribus*; *pluribus* autem simul *eandem puram, sanctamque* Religionem exercentibus, *secessio* jam fiat ab Ecclesiâ, sine *quâ* nec *eandem* exercere possint; ubi tandem *secessionis* noxa? an iis erit hæc imputanda, qui coactè *secesserunt*, an qui eos *secedere* coegerunt?

12. Res ipsa satis loquitur; *Divinis, humanisque* legibus nihil magis consonum est, quàm ut se *singuli* reforment; hoc qui negant, negent necesse est, quicquid *justum, rectumque* est: Nec ergo quid hic ultra rogo Te, Otrokocsi, nisi ut clarè dicas, An quisquis (unum Te excipio, Otrokocsi, cum voce *tuâ internâ, cultum Idololatricum* recognoscentem quidem, sed & *amplectentem*, p. 32.) cœtum aliquem Idololatricum esse noverit, nec posse

se

ſe cum *illo communionem* habere, niſi ſimul *Idololatriæ* particeps ſit, non *poſſit*, ac debeat *cætui* iſti renunciare?

13. Eſt quidem *hoc*, plus quàm *Lutherus fecit*, & plus fortè quàm intellexit, quum primùm cum *Tecelio* in arenam deſcendit: quippe inito certamine, aliæ ex aliis natæ ſunt diſſidendi cauſæ, & *ingraveſcente morbo alia* atque *alia* quærenda erant *remedia*; ſic tamen, ut, quod in *controverſiâ*, tam *longâ*, tam *variâ*, atque *multiplici* non poterat ferè non humanitùs accidere, vel leviter excuſato, vix aut ne vix, poſt *Scriptores ſacros* reperiri quiſquam potuerit tam arduum opus aggreſſus, in quo pauciora ſint, quæ reprehendantur.

14. Quod ut pateat, pergo jam, quæ Tu contrà attuliſti, ad Examen revocare: ſunt autem iſta ſeptemplici hoc ordine conſtituta.

15. 1. 'Quod *Lutherus* & *ſocii ejus* aggreſſi *Reformationem* ſuam, non 'ſolùm ignorârunt illud, quod ſibi demum in actis ſuis fuit Principale, *h. e.* 'deſerendam ſibi eſſe *Romanam Eccleſiam*; ſed neque habuerunt ſpecialem '& extraordinariam ad hoc opus à *Deo Vocationem*, c. 2. p. 52.

16. 2. 'Quòd qui ſpecialiter à Deo mittuntur ad Eccleſiam reſtauran'dam, illi unam ex præcipuis curam hanc habent, ut pro publico Eccleſia'rum bono, pacem & unionem publicam, atque charitatem in pectoribus Fi'delium generent, quòd *Lutherus*, ejuſque ſocii non fecerunt. c. 3. p. 88.

17. 3. Quòd Doctorum ſpecialiter à Deo miſſorum primaria cura eſt, 'pro privatâ uniuſcujuſque ſalute timorem, amoremque Dei & veram 'vitæ ſanctitatem pectoribus hominum ingenerare; Quòd à *Luthero*, ejuſque 'ſociis & aſſeclis neglectum eſſe, experientia in hunc uſque diem docet. 'cap. 4. p. 105.

18. 4. 'Quòd Regnum Eccleſiæ Proteſtanticæ per *Lutherum*, alioſque 'introductum, cum magno, & valde obſervabili ſtrepitu mundano eſt ingreſ'ſum, contra doctrinam Salvatoris. *Luc.* 17. 20. c. 5. p. 124.

19. 5. 'Quod *Lutherus*, & ſocii ejus, nomine Dei, (ut prætendêrunt) 'locuti, non in omnibus docuerunt verum: probatur hoc inductione aliquot 'Articulorum. *v. gr.* De ſtatu animarum poſt mortem; De venerabili Sacra'mento Euchariſtæ; de Regimine Epiſcopali; de Primatu; de *Antichriſto*; de '*Juſtificatione*. &c. c. 6. p. 141.

20. 6. 'Quòd *Lutherus* modum, & ordinem Dei Verbo, & Vocationi 'veri Reformatoris conſentaneum in ſuâ Reformatione non eſt ſecutus; ubi 'narratur de *Indulgentiis*; de comparitione *Lutheri* coram Cajetano Au'guſtæ; de Eraſmo; de Diſputatione Lipſienſi; de *Bullâ Leonis* contra Lu'therum; de Lutheri oppoſito ei furore; de actis Lutheri Wormatienſibus, 'aliiſque rebus huc ſpectantibus. c. 7. p. 173.

21. 7. 'A Propheticis prædictionibus deſumptum, &c. c. 8. p. 303.

22. Eſt hic ſeptemplex *tuus* Clypeus, quo Te, cauſamque tuam defendi ſperas; potius, ſi, quod ubique virus ſpargis, reſpicere velimus, *ſeptemplex tua* Hydra; cujus tamen renaſcentia capita non ſic veremur, quin ordine quodque reſecare nunc auſimus. Quod ergo primum urges, hoc eſt, c. 2. p. 52. Quod *Lutherus*, *& ſocii ejus*, &c. de quo Capite ſequenti.

Cap. VIII.

Responsio De speciali *&* extraordinariâ Vocatione; *necnon* Acta *&* *Scripta* Lutheri, *ab anno* MDXVII. *ad* MDXLVI. *par.* 29. &c.

'1. Quòd *Lutherus*, & socii ejus aggressi Reformationem suam, non so-
'lùm ignorabant illud, quod sibi demum in actis suis fuit Princi-
'pale, *h. e.* defendam sibi esse *Romanam Ecclesiam*; sed neque habuerunt
'specialem & extraordinariam ad hoc opus à Deo Vocationem.

2. *Atque hîc, nescio quas, tuas Virtutes, ac merita deprædicas,* (1.) 'nullo
'Te mundi metu; (2.) nullâ Te in ingratos Auditores vindictæ cupidine;
'(3.) nullo hominibus *humano more* placendi studio; (4.) nullo carnis & san-
'guinis ratiocinio; (5.) nullo humanæ persuasionis argumento ductum esse
'professus; sed (6.) solâ veritatis & pacis amore, & cum hoc bonâ consci-
'entiâ, à Deo excitatâ, & informatâ, Tibi dictante, ut *propositæ Theseos*
'negativam nunc tuearis partem, quod omnibus, quibus competit, cum in-
'trepidâ protestatione in antecessum significas.

3. 'Protestationem autem hanc tuam, Deus, inquis, ipse novit veram esse,
'& contra omnes aliter de Te sentientes, securè ad ejus judicium provocas:
—— & *illic* Te relinquo.

4. Interim, quoniam id hîc præfaris ultra; 'nolle Te hîc innuere, quasi
'nulli abusus, & corruptelæ, tempore exortûs *Lutheri, & sociorum* ejus in Ec-
'clesiâ Christianâ essent; ingenuè enim agnoscere subinde dieis, etiam Vene-
'randam *Synodum Tridentinam* [a] *abusus & superstitiones* non
'paucas, jam tunc circa *sacra* in populum Christianum irre-
'psisse; sed hoc Te negare, *quod abusus illi, ac superstitiones,*
'seu quæcunque corruptelæ, ita tolli debuissent, ut simul
'etiam communio *Romanæ Ecclesiæ* corpore tenus, ac peni-
'tus desereretur; Qui abusibus illis mederi volebant, mortem
'potius gloriosam pro veritate pati debebant, quàm sese à *Romanæ Ecclesiæ*
'communione cum suis sequacibus disjungere, ac per hoc Ecclesiam scindere.

a *Sess.* 21. *c.* 9. *&* *Sess.* 22. *Decr. de observ. & evit. in cel. Miss. & Sess.* 25. *de Invoc. Venerat. & Rel. Sanct. & S. Imag. ibid. Decr. de Indulg.*

5. Quoniam, inquam, hoc ultra præfaris, 'ac prudentius fecisse *decantatis*
'*Reformatoribus, Luthero, ejusque sociis*, Joannem Huss, & Hieronymum
'Pragensem; qui etiamsi non leve adversus *Romanæ Ecclesiæ* Doctores, ac
'Præsules incendium excitaverint; ab *Ecclesiæ* tamen *Romanæ* Unione, &
'Communione, ejusque Capite Visibili, sese, ac suos haud separârunt:
'(hanc enim actu separationem non ipsi, sed ipsorum discipuli, post mor-
'tem eorundem fecerunt,) Atque inde *Joannis Baptistæ*, & *ipsius Christi*
'Domini exemplum urges, qui etiam in medio corruptissimi populi Judaici ita
'prædicârunt, ut tamen Unitatem Ecclesiæ illius minimè scinderint.

6. Habeas ergo, quod velis in *Joanne Huß*, & *Hieronymo Pragensi*; non *prudentiam* Tu *illorum* magis laudaveris, quam *pietatem, prudentiamque Lutheri* nos pòst laudabimus; In quo tamen rei cardo vertitur, ad exemplum *Joannis Baptistæ* & *ipsius Christi* lubens tecum provoco. p. 85.

7. *Dicis Tu in medio corruptissimi populi ita eos prædicâsse*, ut tamen Unitatem Ecclesiæ illius minimè scinderint: At prædicârunt tamen; & quid

aliud

aliud primò fecit *ipse Lutherus*, quid alius aliquis, quos dicis, *Sociorum ejus*?

8. Hoc ergo vides, *Autore Baptistâ*, Autore & ipso *Christo*, aliis quoque *Reformatoribus* licere: Sed an, qui dicis eos *Unitatem* Ecclesiæ illius minimè scidisse, perpendisti etiam quid erat, quod prædicabant? Audi ergo Joannem *prædicantem in deserto, & dicentem*, μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *pœnitentiam agite, appropinquat enim Regnum Cœlorum*: Matth. c. 3. v. 1, 2. Audi & *prædicantem Christum*: Matth. c. 4. v. 17. ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς κηρύσσειν καὶ λέγειν, μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *Ex eo cœpit Jesus prædicare, & dicere, pœnitentiam agite, appropinquat enim Regnum Cœlorum.*

9. Non scidit quidem vel *Baptista*, vel *Christus* Unitatem *Ecclesiæ* illius, sed *nullam* tamen fore *illam* uterque prædixit; atque ad *Communionem Ecclesiæ*, quæ *illi* successura fuerat, homines uterque invitavit, præparavitque.

10. Et quidem si quis sic hodie prædicaret, uti *Joannes*, & *Christus* tum prædicârunt; si quis exiret *in desertum*; aut quò solennior, & magis conspicua foret Auditorum frequentia, *Montem* ascenderet, & confluenti undecunque populo, *novum* imminere *rerum Statum*, *Remp.* & *Ecclesiam* Vergere ad interitum proclamaret, *Juumque* esse, quod appropinquat, *Regnum*; adeóque *Apostolos*, & *Discipulos*, sibi seligeret è populo; Si quis hæc, aut similia hodie faceret, Vereor, (ut est suspicax hominum animus,) ne in deteriorem partem omnia raperentur, & quâvis pœnâ dignus censeretur is, quisquis istiusmodi aliquid moliretur.

11. Non hoc dico, quasi nescirem *Baptistam* ad hæc quæ fecerat, peculiariter missum fuisse, aut proprio suo jure *Christum hæc*, & *quæcunque alia* ipsi placuissent, facere potuisse; quippe cui *summa* rerum à *Patre* commissa fuerat; sed, quò videas, quàm malè comparatum sit, quod hic affers, argumentum; quum revera nihil poterat sic tendere ad *Communionis alicujus* detrimentum, ac quod fecit, ac docuit *Christus*?

12. En ergo colloquentem cum Muliere Samaritide, *Joan.* c. 4. v. 21. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, γύναι, πίστευσόν μοι ὅτι ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ πατρί. *Dicit ei Jesus mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* En Templi Excidium prædicentem, *Matth.* c. 24. v. 2. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀφεθῇ λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ καταλυθήσεται. *Verè dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non dissolvetur*: En quoque eâ ipsâ nocte, quâ *Pascha* edit, finem ipsi *Phaschati* dantem, novosque illos ritus (Institutâ tum *Eucharistiâ*,) introducentem, qui non tam sciderunt, quàm aboleverunt *Ecclesiam Judaicam.*

13. Sed non est cur ultra quicquam arguas, Otrokocsi, *à corruptissimo illo populo*; multo minùs à *corruptâ illâ Ecclesiâ*, si talis fuisset; quum, si *perfectissima* quoque fuisset, *debuerat aboleri*; *eamque* ut *aboleret*, (qui superstes ipse ab illâ non decessit,) moriturus esset Christus.

14. Quod si facturus hæc, à *Communione* tamen ejus ipse quam diu superstes erat, non discessit, nec erat fortasse, cur discederet; Quid enim, si *corruptissimus tum fuerat populi Judaici status*, an ergo deserenda *erat Ecclesia*, quæ non *erat sic corrupta*?

15. Sed *Baptistæ*, ac *Christi* exemplo addis *præclarum illud* [b] *S. Bernardi*, 'qui licet ævo jam in multis corruptissimo vixerit, atque subinde varias, eas'que non mediocres Christianorum sui ævi corruptelas acriter, & nervosè 'repre-

[b] *Serm.* 33. *in Cantic. Item in Ps.* 90. *Serm.* 6. *& Apol. ad Guil. S. Theod. Abb. It. de considerat. ad Eug.*

'reprehenderit; attamen ne vel cogitavit unquam se ab Ecclesiæ Romanæ 'Communione *sequestrare*: unde videris id inferre velle, non *debere* Christianum quemvis, quibuscunque *illa corruptelis* contaminatur, ab *Ecclesiâ semet separare*:

16. At quid si *Bernardus* non viderit omnia? quid si nec Túte, quid *Bernardus*, videris? at videas utcunque quid in hac re statuit utroque oculatior Paulus, prædicto loco ad *Corinth.* Ep. 2. c. 6. v. 15, 16, 17. 18. τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ; τίς δὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; τίς δὲ συμφώνησις Χριστοῦ πρὸς Βελίαλ; ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου; τίς δὲ συγκατάθεσις ναῷ Θεοῦ μετὰ εἰδώλων; ὑμεῖς γὰρ ἐστε ναὸς θεοῦ ζῶντος, καθὼς εἶπεν ὁ Θεὸς ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς καὶ ἐμπεριπατήσω μεταξὺ αὐτῶν, καὶ ἔσομαι αὐτῶν Θεὸς, καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι λαός. διὸ ἐξέλθατε ἐκ μέσου αὐτῶν, καὶ ἀφορίσθητε, λέγει κύριος, καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε. *Quæ participatio justitiæ & iniquitati? quæ verò communio luci ad tenebras? quæ autem consensio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli, qui autem consensus Templo Dei cum idolis? Ideò exite de medio ipsorum, & separamini dicit Dominus, & immundum ne attingite.*

17. Mihi quidem sic *aperit oculos* unicus ille contextus, ut, si nusquam *sacræ paginæ*, idem præciperetur, non videam planè, quomodo *quis*, cujuscunque vel *ordinis*, vel *gradûs* vel *statûs* sit, excusare sese possit, Si non *Antichristo*, (talem nos supra *Romæ* reliquimus,) simul ac *agnito*, protenus renunciet.

18. Renunciârunt quidem ei Ante *Lutherum Waldenses*, ac *Albigenses*, *aliique plurimi*, & nisi perpetuos *ille* habuisset adversarios, unde *Testium Apocalypticorum* nomen omnino proditum fuisset?

19. Unde quasi continuâ *mille ducentorum, & sexaginta annorum* serie (tam diu enim illi prophetare dicantur, *Apocalyps.* c. 11. v. 3.) dicerentur ἐξουσίαν ἔχειν κλεῖσαι τὸν οὐρανὸν, ἵνα μὴ ὑετὸς βρέχῃ τὰς ἡμέρας τῆς προφητείας αὐτῶν, καὶ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῶν ὑδάτων, στρέφειν αὐτὰ εἰς αἷμα, καὶ πατάξαι τὴν γῆν ἐν πάσῃ πληγῇ, ὁσάκις ἂν θελήσωσιν; *Habuisse potestatem claudendi cœlum, ne pluvia pluat in diebus prophetiæ illorum, & potestatem habuisse super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plagâ, quotiescunque voluerint?* Apocalyps. c. 11. v. 6. Aut cur diceretur priori versu, εἴτις αὐτοὺς θέλῃ ἀδικῆσαι, πῦρ ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ στόματος αὐτῶν, καὶ κατεσθίει τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν, καὶ εἴτις αὐτοὺς θέλῃ ἀδικῆσαι, οὕτω δεῖ αὐτὸν ἀποκτανθῆναι. *Si quis eis voluerit nocere, ignis exibit de ore eorum, & devorabit inimicos eorum; & si quis voluerit eis nocere, sic oportet eum occidi?*

20. Adeóne *continua* hæc *potestas* hic loci Testibus conceditur? aut *omnibus* etiam, ac *universis Christianis*, idque, *quocunque tempore* res postulabit, in superioribus textibus, (*viz.* ad *Corinth.* Ep. 2. c. 6. v. 17. & *Isaiæ* c. 32. v. 11. jam nunc memoratis,) præcipitur, ut *exeant protenus, abeant, facessant, separent sese, nec tangant quid immundum*; nec tamen, (ut ad capitis argumentum jam perveniamus,) 'nisi *singularem, & extraordinariam ad tanti mo-* 'menti opus à Deo habeant vocationem, tum sibi in conscientiâ ex internâ Dei 'informatione certò notam, tum verò aliis fidelibus aliquâ ratione noscibilem, 'Reformationem instituere *illis licebit*?

21. *Quæro* igitur ex Te, Otrokocsi; an debuerant necne illi *Testimonium suum ferre*, durante toto illius temporis intervallo? *Et quæro etiam*, an *alia aliqua singularis & extraordinaria* Vocatio illis à Deo fuerat? *prius* si dixeris, debuisse sc. illos Testimonium suum, durante toto illius temporis intervallo,

vallo, ferre, (& neſcio, quî aliter dicere poteris,) *ſupervacanea* erit *illa*, quam tantopere crepas, *ſingularis, & extraordinaria vocatio*; *poſterius* ſi conceſſeris, *rogabo* Te, quo ſeculo, aut anno hoc contigit? quod ubi oſtenderis, oſtendam & Ego *Reformatores* ſic fuiſſe vocatos.

22. Memineris verò, exoratum Te velim, quomodo ad *magna ſua munera*, ſub veteri inſtrumento *Judices*, & *Prophetæ* deſignati ſunt? nimirum, *Spiritus Domini ſuper ipſos eſſe dicitur*: *Judic.* cap. 3. v. 10. cap. 14. v. 19. cap. 6. v. 34. cap. 11. v. 29. cap. 13. v. 25. *Samuel.* 2. c. 23. v. 2. *Eſaiæ* c. 61. v. 2. *Ezek.* c. 11. v. 5. ut plurimum fuerunt illi privatæ perſonæ, antequam ſic *ſuper eos venerat Spiritus*; & *ſuper quoſcunque Spiritus venerit*, quicunque ſic vocati à Deo, (vocantur autem ab illo, qui præceptis *illius* jam *traditis*, *eumque in finem* traditis, ut *iiſdem* omnes pro re natâ obſequantur,) morem hic geſſerint, divinitùs moneri non eſt inficiandum.

23. Vocat quippe nonnullos quaſi *voce ſuâ immediatâ*, alios *per prophetas* vocat, alios *per legem, & verbum illius ſcriptum*; & quæſo, tandem, annon juxta *efficaciter vocari* eos putas Tu, qui per *Prophetas, Legem, Verbumve* Scriptum, ac qui *Voce etiam cœlitus miſſâ* vocantur, quum ubique *unus*, &, *idem Spiritus S.* operetur?

24. Puto certè Ego eos certiùs ſic vocari; quoniam ſic me Spiritus S. ipſe docuit, *Petr.* Ep 2. c. 1. v. 19. Locutus enim de *Voce delatâ Chriſto ipſi à magnificâ gloriâ*, quum jam ad Redemtoris Officium lætè obeundum quaſi animabatur, *viz.* οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui*, Addit protenus, καὶ ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, *& habemus firmiorem propheticum ſermonem.*

25. Eſto ergo, quòd ſic vocatus ſit *Lutherus*, & *ſocii ejus*, quòd *fixæ* jam, *ſtabilique Dei legi, verboque divino* obtemperantes, non potuerant, non *oppreſſæ veritati*, quantum in *ipſis* fuerat, ſubvenire: Qui *Religionis fundamenta* ſubverti, qui *columnas illius* labi ſentiunt, quidni humeros ſtatim ſubmitterent? ' Poterit (1.) [c] *Imaginibus*, & *aliis rebus creatis* propriè dicta ' Religionis adoratio, ſeu cultus ſtrictè Religioſus, *Deo ſoli proprius*, exhi' beri? (2.) Poterit remiſſio peccatorum & vita æterna per ſolius Chriſti me' rita conſequenda, ad *merita ſanctorum* transferri? (3.) Poterunt *hominum* ' *ſcripta*, definitiones, & Traditiones *Scripturæ* S. æquiparari, vel etiam præ' ferri? quæ tua fuerant Obſtacula', licet jam ablata, (proh indulgentem Matrem Eccleſiam Catholico-Romanam, quæ tam benignè ſcrupulos omnes liberis ſuis eximit!) nec tamen eſſe, cur *Veri Dei Cultores*, Veri *Redemptoris Optimi* Diſcipuli, *Veritatis* διοπτῆρες juſtiores arbitri, his ſeſe quomodolibet opponere, & vel contrà mutire auſint?

[c] *Exam. Reſt. p.* 31.

26. Poterit, (quo uno omnia dicam,) quis ſe ſic efferre ſuper omne dictum Deum, & numen, ita ut in Templo Dei ut Deus ſedeat, oſtendens ſe, quòd ſit Deus? poterit leges omnes pro libitu figere, ac refigere? etiam *Decalogum ipſum* minuere? unum legiſlatoris ſummi mandatum, *ſecundum* ſcilicet, in integrum *è cenſu præceptorum* eliminare? *reliquaque omnia*, (quò *ſe, corruptioneſque quaſcunque* moribus ac Fidei contrarias improbiſſimè tueatur,) *vanis* ſuis, & *ineptis*, *profanis* etiam aliquando, *blaſphemiſque* commentis adulterare? aut potius *præcepta ſimul* omnia, *Legem, Prophetas, Evangelium, Apoſtolos*, (dum ſacræ paginæ lectionem tam ſacrilegè interdicit,) planè

planè quasi abrogare? nec tamen fas erit *illis*, quorum *salus æterna* ex his pendet, non *sibi* solùm, sed & *Deo Opt. Max.* intentatam expostulare injuriam?

d *Adam. Vita Lutheri p.* 105

27. Aut, (quoniam ea res erat *Lutheri*,) non licebit alicui, [d] *Officii ratione, sacrum textum, jam publicè explicanti*, si quid *Veritati Evangelicæ* contrarium, & quod ad ipsam Fidei Christianæ *subversionem* tendit, publicè edatur, in causâ *Christi* & *Evangelii*, quæ docuerat, defendere?

28. An, qui sic fecit, *Lutherus* extra noxam sit, res breviter narrata declarabit.

Acta, & Scripta Lutheri *breviter denarrata.*

29. ‘ Monstraverat *Lutherus* in prælectionibus suis, *Legis & Evangelii discrimen*, refutâratque errorem hunc in Scholis & concionibus frequentatum, ‘ quo docebatur, *Mereri homines remissionem peccatorum operibus, & Homines coram Deo justos esse disciplinâ*, ut Pharisæi docuerunt; revocavit igitur ‘ *Lutherus* hominum mentes ad filium Dei, &, ut *Joannes Baptista, monstravit agnum Dei*, qui tollit peccata nostra; ostendit gratis *propter filium Dei remitti peccata*, & oportere id beneficium fide accipi. Hæc ei ‘ exordia magnam authoritatem conciliârunt; præsertim cum mores congruerent cum oratione docentis, videreturque *oratio non in labris nasci*. Hujus dulcedine doctrinæ pii omnes valde capiebantur, & eruditis gratum erat, ‘ quasi ex tenebris & carcere educi *Christum, Prophetas, Apostolos*; conspici ‘ discrimen *Legis*, & *Evangelii*; *Philosophiæ, & Evangelii*; quod certè non ‘ extabat in *Thomâ Scoto*, & similibus; accedebat huc, quod *Erasmi* scriptis ‘ invitata erant Juventutis studia, ad *Latinæ*, & *Græcæ* linguæ cognitionem: ‘ Quare monstrato dulciore genere doctrinæ, multi bonis & liberis ingeniis ‘ præditi, abhorrere à Barbaricâ, & Sophisticâ doctrinâ Monachorum inciebant: Ipse etiam *Lutherus* Græcæ, & Hebrææ linguæ studiis se dedere ‘ cœpit, ut cognitâ sermonis proprietate, ac phrasi, & hausta ex fontibus doctrinâ, dexteriùs judicare posset.

30. ‘ In hoc cum cursu esset *Lutherus* circumferuntur *Venales indulgentiæ* ‘ in illis *Misniæ*, & *Saxoniæ* Regionibus, à *Joanne Tecelio*, Dominicano; quem ‘ *Cæsar Maximilianus* aliquando capitis damnaverat, &, Oeniponte jusserat ‘ in flumen præcipitari; sed *Frederici* Ducis Saxoniæ intercessione, qui tum ‘ in iis forte locis erat, periculum evasit. Is inter alia docebat *se tantam* ‘ *habere potestatem à Pontifice, ut etiamsi quis vel Virginem Matrem vitiâsset, condonare crimen ipsi posset, interventu pecuniæ*: Deinde, non ‘ modò *jam commissa*, verum etiam *futura peccata* condonabat: Neque ‘ multo post exit libellus cum insignibus, *Alberti Archiepiscopi*, quo mandabatur Quæstoribus, ut vim *indulgentiarum* populo diligentissimè com‘ mendarent: Ad hæc & Facultatem *diebus prohibitis, lacte, caseo, ovis, carne* ‘ vescendi, pretio vendebat.

31. ‘ His impiis concionibus irritatus *Lutherus*, studio pietatis ardens, edi‘ dit *propositiones de Indulgentiis*, & has publicè *Templo*, quod *Arci Wit‘ tembergensi* contiguum est, affixit, pridie omnium Sanctorum, anno mil‘ lesimo quingentesimo, decimo septimo. Hic *Tecelius*, sperans se gratiam ‘ apud Romanum Pontificem initurum, suum Senatum convocat; Monachos ‘ aliquot,

'aliquot, & Theologos, ſuâ Sophiſticâ utcunque tinctos; Hos componere 'aliquid jubet adverſus *Lutherum*. *Ipſe* interea ne eſſet κωφὸν πρόσωπον, non 'jam conciones, ſed fulmina in *Lutherum* torquet; Vociferatur ubique *hunc 'Hæreticum igni perændum eſſe*: *Propoſitiones* etiam *Lutheri*, & *concio-'nem de Indulgentiis* publicè conjicit in flammas: Hi furores *Tecelii*, & *ſa-'tellitum ejus* imponunt neceſſitatem *Luthero* de rebus iiſdem copioſiùs diſſe-'rendi, & tuendæ Veritatis.

32. 'Hæc initia fuerunt hujus controverſiæ, in quâ *Lutherus* nihil adhuc 'ſuſpicans, aut ſomnians de futurâ mutatione, ne quidem ipſas *Indulgentias* 'prorſus abjiciebat, ſed tantùm moderationem flagitabat. Immò conſtat *Lu-'therum* ſilentium promiſſurum fuiſſe, modò idem adverſariis fuiſſet indi-'ctum. Sed cum videret defendi, & vulgo credi: quod Æruſcatores illi 'jactabant, ad *Albertum Archiepiſcopum Moguntinum*, à quo *Tecelium* ad 'ejuſmodi conciones, pallii redimendi causâ, conductum conſtabat, (etſi id '*Lutherus* ignorâſſe fertur;) datis literis, de impiis illorum clamoribus que-'ritur, oratque, ut ratione Officii libellos editos aboleat, & *prædicatoribus 'veniarum*, (verba Lutheri ſunt,) *aliam prædicandi formam imponat*. Miſit 'unà illi *propoſitiones* de *pœnitentiâ*, *& Indulgentiis*, quas primùm tunc edi-'derat. Moguntinus ad Epiſtolam *Lutheri* nihil reſpondit; & *Tecelius 'Francofurti ad Viadrum* ſua Themata contraria, à *Conrado Wimpina*, aliiſ-'que confecta oppoſuit; & *Papam Petro*, *Crucem* à Papâ erectam *Cruci 'Chriſti* comparavit.

33. e''Theſes illas Tecelianas, *Halâ Saxonum* allatas, *Studioſi Wittember-* e *Tom. I. 'genſes* in foro cremârunt: Quâ de re *Lutherus* ita ad *Joannem Langum*: *Ep. Luth.* 'ut autem ſis præmonitus, ſi qua fama fortè ad vos pervenerit de conflagra- *p. 54.* 'tione propoſitionum *Tecelianarum*, ne plus ullus addat, (ut ſolet fieri,) quàm 'ſit rerum geſtarum, hæc eſt fabula. Studentes ut ſunt mirè pertæſi Sophi-'ſtici hujus antiqui ſtudii, cupidiſſimi verò ſacræ Bibliæ, forte & mei favoris 'ſtudio; cum reſciſſent advenisſe virum ab Hallis miſſum à Terzel autore 'Poſitionum: Statim adeunt & hominem terrentes, quod talia huc auderet 'afferre; aliquot quidam emerunt, alii verò rapuêrunt, & reliquas omnes 'fermè 800. (præmiſsâ intimatione, & convocatione, ut, ſi quis vellet adeſſe 'conflagrationi, & funeri poſitionum Terzellianarum, veniret ad forum horâ 'ſecundâ,) combuſſerunt; atque hæc inſcio Principe, Senatu, Rectore, deni-'que omnibus nobis. Certe mihi & omnibus diſplicet illa gravis injuria 'homini à noſtris allata: Sum extra noxam, ſed timeo, quòd totum mihi im-'putabitur, fit ex eâ re ingens undecunque fabula. Sed major illorum, non 'injuſta denique indignatio. Quid futurum ſit neſcio, niſi quòd periculum 'meum eo ipſo fit periculoſius.

34. 'Cum animadverterit itaque *Lutherus* ſua Themata cum multorum 'applauſu excipi, & pro adſertis, veriſque haberi, quæ ipſe f diſputandi ſo- f *Luth T. I.* 'lummodò causâ protuliſſet, donec Eccleſia definiret, quid *ſentiendum de* *Oper lat.* '*Indulgentiis eſſet*, *ad Heronymum* Eccleſiæ *Brandenburgenſis* Epiſcopum, cu- *Witt.* 'jus erat ditioni ſubjectus, ſcribit, ſua ſcripta ejus judicio ſubjicit, rogans, 'ut quæcunque diſplicerent, vel calamo diſpungat, vel igni aboleat. *Luth.* 'Epiſcopus reſpondet: & optare ſe indicat; ut paululum differat editionem 'probationum ſuarum: de *Indulgentiis* etiam ſermonem vulgarem editum

'nolle;

'nolle; *Ad hæc Lutherus*: bene sum contentus: malo obedire; quàm mira-
g *Ibid.* 'cula facere, etiamsi possem. Scripsit & ad *Joannem Staupicium*, Angusti-
'stianæ familiæ Vicarium, cui sui facti rationem exponit, eique resolutiones
'disputationum de Virtute *Indulgentiarum* ad *Leonem* X. *Pontificem* curan-
'das mittit; cui *Pontifici*, & *ipsi* indicat, quàm temerè, & avarè præcones
h *Tom.* 1. *Oper. Luth.* '*Indulgentiarum* Auctoritate ejus abusi sint. h Protestationem quoque sui
'muniendi repetit.

35. Quid his huc usque synceriùs, aut sanctiùs esse poterat? ad quem se melius conferre poterat *Lutherus* in re tanti momenti, quam *Moguntinum*, cui Indulgentiarum negotium à Papâ commissum erat, ut Indulgentiarum loco Evan-
i *Chytr. p.* 1. *Sax. Polydor. Virg. L.* VIII. *c.* 4. *Laur. Sur. Carhus. &c.* gelium doceri juberet? i illis præcipuè jam ante à *Joanne Ep. Misnensi* è Diœcesi sua ejectis. Aut *Moguntino* ad ipsum non respondente, quid non prudentiùs modò, sed & ad muneris ipsius, quod obibat in Ecclesiâ, functionisque rationem aptius, decentiusque, quàm ut Episcopo, cui subjectus fuerat, se, suaque committeret omnia? Quid etiam erga superiores quoscunque reverentiam majorem testari poterat, quàm quod *Staupicio* & per ipsum *Pontifici* tam humiliter, & ingenuè submisit?

36. Sed nec tanto malo remedium aliquod à *Moguntino* vel *Brandeburgensi* Episcopo, nedum *Pontifice* adhibetur; quin potius contra ipsum *Eccius*, *Sylvester Prierias*, *Hochstratusque*, ut ipsum oppugnent, animantur; His
k *Luth. T.* 1. *Oper. Lat. Witt.* respondet *Lutherus*; sed *Sylvestro* tantùm in k Epistolâ ad Lectorem; *ubi inter alia dicit.* 'Si Pontifex & Cardinales idem sentiant; si Romæ quoque
'sic doceatur, jam non esse dubium, quin Roma sit ipsissima sedes *Antichristi*;
'felicem esse *Græciam*, *Bohemiam*, & omnes, qui divortium ab eâ fecissent;
'præconia Pontificis excogitari quotidie nova; ne Concilio legitimo possit
'esse locus.

37. Hochstratus jam nunc nominatus Pontificem ad vim atque flammam hortatus est. Nihilominus obedientiæ satisfacturus l ad *Capitulum Haidelbergense* proficiscitur *Lutherus*, maximam itineris partem pedes; Herbipoli benigne
l *Anno* 1518. fuit ab Episcopo exceptus, & Haidelbergæ à *Comite* Palatino Wolfgango. Habuit disputationem in Claustro Augustinianorum *de justificatione Fidei*,
m *Luth. Epist. T.* 1. quæ successit bene: in reditu scripsit m Epistolam ad *Judocum Isenacensem* Theologum, & Philosophum, suum præceptorem: Ubi hæc: 'Omnes con-
'stanter (in doctrinâ gratiæ, & operum,) Doctores *Wittembergenses* mecum
'sentiunt; immò *tota Universitas*, excepto uno fermè Licentiato Sebastiano:
'Sed & Princeps, & Episcopus Ordinarius noster, deinde multi alii Prælati,
'& quotquot ingenioli cives jam uno ore dicunt, sese priùs non novisse, nec
'audivisse Christum, & Evangelium.

38. 'Haidelburgâ domum reversus, edidit illas propositionum suarum de
'*Indulgentiis* resolutiones & declarationes, quas Pontifici, ut ante dictum est,
'*Leoni* X. dedicaverat; causas editionis adfert, (detulerat enim huc usque,
'prout Episcopo *Brandenburgensi* promiserat,) ut adversarios mitiget: de-
'sideria multorum expleat: &, ne errare sinat eos, qui putent omnia esse ad-
'serta: fatetur enim, multa esse, de quibus ipse dubitet; nonnulla quæ igno-
'ret; aliqua se negare, sed nulla pertinaciter asserere: Pontificisque adeò
'pedibus totum se humiliter prosternit.

39. 'Maximilianus itaque imperator de eventu disputationum talium soli-
'citus,

‘ citus, Pontificem monet, Auctoritatem ſuam interponat. Pontifex per
‘ *Thomam Cajetanum Cardinalem*, *Lutherum* Romam evocat: idemque à *Fre-*
‘ *derico* Saxoniæ Electore Epiſtolâ petit: *Lutherus* ubi hoc intellexit, unicè
‘ id egit; ut in Germaniâ idoneis conſtitutis judicibus, cauſa cognoſceretur;
‘ tandemque eo res deducta eſt, intercedente pro *Luthero* ad *Pontificem*,
‘ & *Carolum Miltitium* Germanum, *Pontificis* Cubicularium, *Wittembergenſi*
‘ *Academiâ*; & ad Cajetanum Legatum ipſo Electore, ut coram illo Legato
‘ Auguſtæ cauſam diceret; Venit Auguſtam *Lutherus*, & ad Cajetanum, 1518.
‘ acceptâ fide publicâ admiſsus, de tribus his fuit compellatus; (1.) ut ad ſa-
‘ nitatem rediret, & quos divulgâſset, errores revocaret; (2.) ut promitteret
‘ ſe in poſterum talia non docturum; & (3.) ab aliis, quæ Eccleſiæ tranquil-
‘ litatem perturbarent, abſtineret: Objectum fuit *Luthero*, quòd negâſset
‘ meritum Chriſti eſse Theſaurum Indulgentiarum, & quòd docuiſset, *acceſ-*
‘ *ſuris ad Sacramentum*, *neceſsariam eſse fidem*; probavit Cajetanus ſenten-
‘ tiam ſuam *Clementis* VI. decreto, multiſque Romæ ſedis Auctoritatem ex-
‘ tulit; ut quæ omnibus & ſcripturis, & conciliis anteponenda ſit: *Lutherus*
‘ ad hæc: *Eccleſiam Romanam* à ſe obſervari profitetur: ſi quid alienum
‘ ab eâ dixerit, nolle id ratum habere; errorem autem, cujus nullius ex Scri-
‘ pturâ convictus ſit, revocare non poſse, ac judicium Eccleſiæ permittere.
‘ Dimiſso *Luthero* cum objurgatione, Legatus cum *Staupicio* egit, ut *Luthe-*
‘ *rum* ad revocationem impelleret: Perſtitit *Lutherus* in ſententiâ, cum
‘ teſtimoniis Scripturæ non convinceretur; tandemque metuens ne *Cardinalis*
‘ rem omnem magis *imperio*, quàm *diſputatione* definiret; cum ad Pontifi-
‘ cem provocâſset, Auguſtâ diſceſſit, (quia *Cardinalis* dixerat, ne in conſpe-
‘ ctum ſuum rediret, ſi revocare nollet:) vigeſimo Octobris 1518. relictâ ad
‘ Cajetanum Epiſtolâ; & *Appellatione* ad Papam publicè affigendâ.

40. ‘ Id ægre ferens *Cardinalis* ad Saxonem dat literas; ut *Lutherum* aut
‘ Romam mittat, aut finibus ſuis ejiciat: oratque, ne *Lutheri* defenſoribus fi-
‘ dem habeat; neve maculam illuſtriſſimæ ſuæ familiæ aſpergat: Cui E-
‘ lector reſpondet: id ſibi integrum non eſse, cum nullius erroris convictus
‘ ſit, & Academiæ utilem navet operam; & *Lutherus* ſe ad cognitionem
‘ cauſæ, atque diſputationem offerat.

41. ‘ Hæc dum geruntur, è *Cajetani* literis intellexit *Lutherus* fore, ut
‘ contra ſe Romæ judicaretur; novam ergo interjecit *appellationem*, quâ ad-
‘ ductum ſe extremâ neceſsitate dicit, ut à *Pontifice* provocaret ad Concilium
‘ futurum, quod Pontifici ſit omnibus modis præferendum.

42. ‘ Sub idem tempus, Pontifex miſit in Germaniam *Carolum Miltitium*
‘ Miſnicum Equitem, & *Fredericum* aureâ roſâ (à *Romanis Pontificibus*
‘ quartâ Dominicâ quadrageſimæ conſecrari ſolitâ,) donavit, ut in fide ſuo-
‘ rum perſeveraret, hortatus: Egit is cum *Luthero* multis, ut *Papæ* recon-
‘ ciliaretur: Vocavit idem *Miltitius* ad ſe Tecelium, principem ejus Tra-
‘ gœdiæ *Auctorem*, & verbis, miniſque ita fregit hominem, hactenus terribi-
‘ lem omnibus, & imperterritum Stentorem, ut inde contabeſcens tandem
‘ ægritudine animi fuerit confectus. *Lutherus* ante obitum literis ſcriptis
‘ hominem conſolatus eſt, ac bono animo eſſe juſſit, ſed ille metu fortè in-
‘ dignationis Papæ vitam reliquit. *Fredericus* autem Elector nec Pontificio-
‘ rum voculas, nec roſam ipſam ullo eſt honore dignatus; quanquam *Miltitius*

'*tius* mirè triumpharit ob eam, & *Dreſdæ* dixerit, Doctor Martinus *iſt in* 'meinen handen, *i. e.* eſt in meâ manu: ſub id tempus & Bohemi *Lutherum* 'hortati ſunt, miſſis literis, & libello quodam Huſſi, ad conſtantiam, & pa- 'tientiam; ac confeſſi ſunt Theologiam, quam doceret *Lutherus*, eſſe 'puram.

43. Atque huc uſque deductâ Reformationis hiſtoriâ, quantum ad *Lutherum*, (1.) quâ causâ & *occaſione* primùm divulgavit *Ille propoſitionum ſuarum de Indulgentiis reſolutiones & declarationes*, quas & poſtea edidit: (2.) Quomodo *Monachis* aliquot, & *Theologis*, quos *Tecelius* irritaverat, ut aliquid adverſus *ipſum* componerent, & *Tecelio* ipſi, reſpondit: (3.) Quomodo ad Albertum Moguntinum Epiſcopum ſcripſerat: (4.) Quomodo Tecelianæ Theſes à ſtudioſis Wittembergenſibus crematæ ſunt; (5.) Quomodo ad Eccleſiæ Brandenburgenſis Epiſcopum, cujus ditioni ſubjectus erat; necnon ad *Staupicium*, & per ipſum ad Pontificem ipſum literas dedit: (6.) Quomodo Eccio, Sylveſtro Prieriati, & Hochſtrato reſpondit: (7.) Quomodo coram *Capitulo* Haidelbergenſi ſe ſtitit: (8.) Quomodo diſputationem in *Clauſtro Auguſtinianorum* habuerat, & quis illius erat eventus: (9.) Quid de ea ad *Judocum Iſenacum* ſcripſerat: (10.) Quomodo & quibus de cauſis *Haidelbergâ* reverſus, *propoſitionum ſuarum de Indulgentiis reſolutiones, & declarationes* edidit: (11.) Quomodo *Maximilianus*, de his ſolicitus, ut Auctoritatem ſuam interponeret, Pontificem monuit: (12.) Quomodo *Pontifex* per *Cajetanum* Cardinalem, *Lutherum* Romam evocavit; idemque à Frederico Saxoniæ Electore Epiſtolâ petiit: (13.) Quomodo intercedente pro *Luthero* ad *Pontificem* & *Miltitium* Pontificis Cubicularium *Wittembergenſi Academiâ*, & ad Cajetanum Legatum ipſo Electore, coram *illo* Legato *Auguſtæ* cauſam dixit: (14.) Quomodo à Cajetano ad Papam, atque à Papa, quòd vitæ ejus inſidiaretur, ad futurum Concilium appellavit; (15.) Et quis demum *Tecelii* ipſius, Principis ejus Tragædiæ Auctoris exitus fuerat: quæ reliquam illius vitæ partem ſpectant, horum breviſſimam dabo ex *Hoffmanno* Epitomen. Quæ ſic pergere poteſt.

44. 'Publicavit item [*Lutherus*] Sermones de Virtute Excommunica- 'tionis, de Pœnitentiâ & præparatione ad S. Cænam, cum appendice de Me- 'ditatione Paſſionis Dominicæ: Conjungentibus jam quoque aliis Doctoribus 'operas ſuas, imprimis *Ulr. Zuinglio* in *Helvetiâ*. De hoc anno ſic *Eraſm.* 'Ep. li. XI. Ep. 1. & li. XII. Ep. 23. & 31. inquit: Ego *Lutherum* nec ac- 'cuſo, nec defendo, multa præclarè monuit, ſed utinam civilius, &c. Idem '*Lutherum* ad moderationem revocavit, lib. VI. Ep. 4. Perrexit hic edere 'Sermones, de duplici Juſtitiâ, de ſalutari Meditatione Paſſionis Dominicæ: 'de Baptiſmo: de præparatione ad Mortem: Item enarrationem Ep. ad *Ga-* 'latas. Excommunicatus *A. C.* 1521. à Leone, publicavit aſſertionem o- 'mnium articulorum Doctrinæ ſuæ à Leone damnatorum, iterumque provo- 'cavit à Papa ad Conc. *Lovanienſibus* quoque & *Colonienſibus* reſpondit, qui 'libros ipſius flammis dignos pronunciârunt. *Eraſm.* lib. XV. Ep. ult. Scri- 'ſitque porrò de libertate Chriſtianâ, quem librum *Leoni* X. miſit: De capti- 'vitate *Babylon*; præludium, quo Pontificiorum iras, ac odia imprimis in ſe 'concitavit, &c. *Vide Bucholc. Ind. Chronol. p.* 492. *Lipſiæ* coram *Gregorio* Duce 'Saxoniæ: cum *Eccio* de primatu Papæ diſputavit victor: exclamante Duce,

'ſive

'sive sit Jure Humano, sive Divino Papa *ipse est Papa. Abr. Scultetus* in Ann.
'Eccl. *Wormatiam* ad Comitia, hoc Anno citatus, amicis iter dissuadentibus,
'respondit: se iturum, etiamsi sciret, tot sibi Diabolos esse oppositos, quot sunt
'in omnibus Urbis tectis tegulæ. Comparuit igitur, coram *Car.* V. Imp. &
'Imperii Proceribus, ac veritatem intrepidè confessus est. Contra quosdam,
'Fidem minime esse servandam clamitantes, à Lud. Elect. Palatino defensus:
'*Wormatiâ* decessit feriâ 6. post *Jubilate* 26. April. Proscriptus à Cæsare die
'8. Maii, ab Elect. *Saxoniæ*, 10. Mensibus, in arce *Vartburgensi*, prope *Ise-*
'*nacum*, occultissime servatus est, ut ne *Magi* de loco consulti divinare po-
'tuerint. In hâc *Pathmo* plurima scripsit. *Vide Bucholc. Ind. Chron. p.* 494.
'Iterum Excommunicatus die 28. Martii, iterum respondit. Irritatus à *Car-*
'*lostadio* prodiit, & palam rursus docuit, *A. C.* 1522. *Vide Erasm.* Ep. 2. lib.
'XIV. Ep. 7. lib. I. Ep. 2. lib. XVII. Ep. 26. &c. Conflixit dein cum fa-
'naticis, *Nic. Storck*, *Thomâ Muntzero*, &c. *Henr. Angliæ* Regi asperiore
'calamo respondit. Hoc tempore Monachi lectis *Lutheri*, aliorumque libris,
'passim Monasteria vacuefecêrunt: qui Nov. Test. hoc Anno *Germanice*
'versum edidit, *Phil. Melaucthonis* opera usus. Decretum Imperii *Norim-*
'*bergæ* Principibus congregatis editum, *A. C.* 1523. die 6. Martii: quo uni-
'versale ac Liberum Concilium optimum visum est controversias dirimendi
'Medium; interea Theologi Evangelium pure & modeste prædicare jussi
'sunt, datis ad Principes literis, pro se interpretatus est. Abolito *Wittem-*
'*bergæ* Canone Missæ Cænam Domini celebravit, revocatâ tamen in usum
'confessione auriculari, & privatâ Absolutione, quam *Carlostadius* abolevе-
'rat. Postmodum Pentateuchum *Germanice* translatum edidit: libro de
'dignitate & officio Magistratûs Politici exhilaravit Electorem; De Sacra-
'menti adoratione scripsit ad *Waldenses*, tumque primùm Opinionis *Beren-*
'*garii* meminit, de Cænâ Domini. *Henr.* & *Joh. Monachos* Augustinianos
'flammis *Bruxellis*, ob Religionem, datos, cantico celebravit. *Vide Erasm.*
'lib. XXI. Ep. 7. & lib. XXIV. Ep. 4. Cucullum deposuit *A. C.* 1524. *E-*
'*rasmo* scriptum de servo arbitrio opposuit. *A. C.* 1526. *Vide Erasm.* lib.
'XIX. Ep. 1, 2, 3, 4. & antepen. *Carlostadium*, aureo dato nummo, ad scri-
'bendum contra se, in negotio S. Cænæ, provocavit die 22. Aug. *A. C.* 1524.
'Ienæ. Hoc belli sacramentarii initium fuit. *Vide Lud. Lavateri Hist. Sa-*
'*cram.* Edidit Psalterium *Germanice*. Cum *Melancthone A. C.* 1525. scripta
'quædam edidit, contra articulos à seditiosis Rusticis, initio Anni publica-
'tos. Tum *Zuinglius* & *Oecolampadius* mentem suam de genuino sensu ver-
'borum S. Cænæ scriptis editis exposuerunt: *Lutherus* autem ordinationem
'Ministrorum Evangelii in Eccl. reduxit, die 14. Maii, cum primus ordi-
'nandus esset *Georg. Rorarius*. Missam linguâ vernaculâ celebrari curavit
'die 29. Octobr. Contra *Carlostadium* de *Cænâ* Domini, & *Iconomachiâ* scri-
'psit: librumque de abominatione Canonis missæ edidit, contradicentibus ex
'*Angliâ*, *Galliâ*, *Hispaniâ*, *Germaniâ* plurimis: *Catharinam* à *Boren*, ge-
'nere nobilem, quæ Monialis anteà fuerat die 27. Junii uxorem duxit. Li-
'brum adversus *Zuinglium* & *Oecolampadium A. C.* 1527. de sensu verbo-
'rum *Cænæ* evulgavit, cui uterque respondit; ut & *A. C.* 1528. Conventu
'dein Spirensi, *A. C.* 1529. celebrato, *Protestantium* ortum nomen: eodem-
'que Anno *Smalcaldiæ*, de mutuo Fœdere Principum Evangel. consilia agi-

'tata. Colloquio *Marpurgenſi*, inter *Lutherum* & *Zuinglium*, triduano, con-
'ſtituta eſt concordia diſcors, & inducìæ in causâ Euchariſticâ pactæ, quæ diu
'haud durârunt. Edidit poſt hæc utrumque Catechiſmum *Lutherus*, *A. C.*
'1530. Confeſſio *Auguſtana*, ſcripta à *Phil. Melanchthone*, exhibita eſt
'*Car.* V. in Comitiis *Auguſtanis*, qui illam ſibi *Italicè* & *Gallicè* verti voluit,
'dum *Lutherus* in arce *Coburgenſi* fuit: & prima pax Religionis cont. *A. C.*
'1532. uſque ad liberum Chriſtianum Conc. impetrante illam *Alberto Mo-*
'*guntino*, & *Lud. Palatino*. *Lutherus A. C.* 1534. tandem Biblia Germ. in
'Unum Corpus redacta, prælo ſubjecit, quæ cum *Hebraicis Seb. Munſteri*,
'prodierunt, *A. C.* 1535. Cæpit exin *Geneſin* enarrare: Inter eum & *Bu-*
'*cerum* concordiæ formulam *Melanchthon* edidit, *A. C.* 1536. Diſputare contra
'*Antinomos*, *A. C.* 1537. cæpit, Librum de Conciliis & Eccl. in lucem *A. C.*
'1538. miſit. Primam ſuorum Comm. in *Geneſin* partem *A. C.* 1544. &
'Menſe Sept. ejuſdem Anni brevem, ultimamque ſuam de *C. D.* confeſſio-
'nem condidit, diſertè exponens, quid à dignis & indignis in illa ſumatur:
'de quo ſcripto Theologi *Tigurini* ſuam ſententiam paulò pòſt publicârunt.
'Obiit paulo ante Bellum *Smalcaldicum Iſlebiæ* Anno Chriſti, MDXLVI.

Id unum hîc coronidis loco liceat adnotare, quòd ipſe Archiepiſcopus *Moguntinus* jam ferè moriens, dixit, ſe de morte ſuâ non adeò dolere, quàm ob id ſubditi ſui pauperes iterum pro pallio gravem exactionem dare cogerentur.

Actis, *Scriptiſque Lutheri* ſic breviter denarratis, Quò *Reformationis ipſius neceſſitas* manifeſtiùs pateat, *curioſiſque* ultra ſatisfiat; viſum eſt mihi operæ pretium, non *Propoſitiones modò ipſas de Indulgentiis*, *quas* publicè *Templo*, quod *Arci Wirtembergenſi* contiguum erat, pridie omnium Sanctorum Anno MDXVII. affixit *Lutherus*, ſed & *Centum Gravaminum Nationis Germanicæ Legato Pontificis* Anno MDXXIII. *exhibitorum*, aliorumque eò pertinentium Epitomen, diſtinctis duobus Capitibus hîc ſubjicere.

Cap. IX.

[a] *Pag. 51. Tom. I.*

[a] *Propoſitiones Lutheri de Indulgentiis.*

Amore & ſtudio elucidandæ veritatis hæc ſubſcripta Themata *diſputabuntur* Wittenbergæ *Præſidente Reverendo* Patre Martino Luthero, Fremitano Auguſtiniano, *Artium & S. Sanctæ Theologiæ Magiſtro*, *ejuſdem ibidem* Ordinario Lectore; *quare petit*, *ut qui non poſſint* verbis *præſentes nobiſcum diſceptare*, *agant id* literis *abſentes in* Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti *Amen*. *A. C.* MDXVII.

1. DOminus & Magiſter noſter *Jeſus Chriſtus* dicendo Pœnitentiam agite, &c. omnem vitam fidelium Pœnitentiam eſſe voluit.

2. Quod verbum de Pœnitentiâ Sacramentali, id eſt Confeſſionis, & ſatisfactionis, quæ Sacerdotum Miniſterio celebratur, non poteſt intelligi.

3. Non tamen ſolam intendit interiorem, imo interior nulla eſt, niſi foris operetur varias Carnis Mortificationes.

4. Manet

4. Manet itaque pœna, donec manet odium ſui, id eſt, pœnitentia vera intus, ſcilicet uſque ad introitum Regni Cœlorum.

5. Papa non vult, nec poteſt ullas pœnas remittere, præter eas, quas arbitrio vel ſuo, vel Canonum impoſuit.

6. Papa non poteſt remittere ullam culpam, niſi declarando & approbando remiſſam à Deo, aut certò remittendo caſus reſervatos ſibi, quibus contemptis culpa prorſus remaneret.

7. Nulli prorſus remittit Deus culpam, quin ſimul eum ſubjiciat humiliatum in omnibus Sacerdoti ſuo Vicario.

8. Canones Pœnitentiales ſolum viventibus ſunt impoſiti, nihilque morituris ſecundum eoſdem debet imponi.

9. Inde bene nobis facit Spiritus Sanctus in Papa, excipiendo in ſuis decretis ſemper articulum Mortis & neceſſitatis.

10. Indoctè & malè faciunt Sacerdotes ii, qui morituris pœnitentias Canonicas in Purgatorium reſervant.

11. *Zizania* illa de immutandâ pœnâ Canonicâ in pœnam Purgatorii, videntur certe dormientibus Epiſcopis ſeminata.

12. Olim pœnæ Canonicæ non poſt, ſed ante abſolutionem imponebantur, tanquam tentamenta veræ Contritionis.

13. Morituri per mortem omnia ſolvunt, & legibus Canonum mortui jam ſunt, habentes Jure earum relaxationem.

14. Imperfecta ſanitas, ſeu charitas morituri, neceſſario ſecum fert magnum timorem, tantoque majorem, quanto minor fuerit ipſe.

15. Hic timor & horror ſatis eſt ſe ſolo, ut alia taceam, facere pœnam Purgatorii, cum ſit proximus deſperationis horrori.

16. Videntur Infernus, Purgatorium, Cœlum differre, ſicut deſperatio, prope deſperatio, ſecuritas differunt.

17. Neceſſarium videtur animabus in Purgatorio, ſicuti minui horrorem, ita augeri charitatem.

18. Nec probatum videtur ullis aut rationibus, aut Scripturis, quod ſint extra ſtatum meriti ſeu augendæ charitatis.

19. Nec hoc probatum eſſe videtur, quod ſint de ſuâ beatitudine certæ & ſecuræ, ſaltem omnes, licet nos certiſſimi ſimus.

20. Igitur Papa per remiſſionem plenariam omnium pœnarum, non ſimpliciter omnium intelligit, ſed à ſe tantummodo impoſitarum.

21. Errant itaque Indulgentiarum Commiſſarii, qui dicunt per Papæ Indulgentias Hominem ab omni pœnâ ſolvi & ſalvari.

22. Quin nullam remittit animabus in Purgatorio, quam in hâc vitâ debuiſſent ſecundum Canones ſolvere.

23. Si Remiſſio ulla omnium omnino pœnarum poteſt alicui dari, certum eſt eam non niſi perfectiſſimis, id eſt, pauciſſimis dari.

24. Falli ob id neceſſe eſt, majorem partem populi per indifferentem illam & magnificam pœnæ ſolutæ promiſſionem.

25. Qualem poteſtatem habet Papa in Purgatorium generaliter, talem habet quilibet Epiſcopus & Curatus in ſuâ Diocœſi, & Parochia ſpecialiter.

26. Optimè facit Papa, quod non poteſtate clavis (quam nullam habet,) ſed per modum ſuffragii dat animabus remiſſionem.

27. Hominem

27. Hominem prædicant, qui ſtatim ut jactus nummus in Ciſtam tinnierit, evolare dicunt animam.

28. Certum eſt nummo in Ciſtâ tinniente augeri quæſtum, & avaritiam poſſe, ſuffragium autem Eccleſiæ eſt in arbitrio Dei ſolius.

29. Quis ſcit, ſi omnes animæ in Purgatorio velint redimi, ſicut de S. *Severino* & *Paſchalio* factum narratur.

30. Nullus ſecurus eſt de veritate ſuæ Contritionis, multò minus eſt, de Conſecutione plenariæ Remiſſionis.

31. Quam rarus eſt vere Pœnitens, tam rarus eſt vere Indulgentias redimens, id eſt rariſſimus.

32. Damnabuntur in æternum cum ſuis Magiſtris, qui per literas veniarum ſecuros ſeſe credunt de ſuâ ſalute.

33. Cavendi ſunt nimis, qui dicunt venias illas Papæ, donum eſſe illud Dei Inæſtimabile, quo reconciliatur homo Deo.

34. Gratiæ enim illæ veniales tantum reſpiciunt pœnas Satisfactionis Sacramentalis ab Homine conſtitutas.

35. Non *Chriſtiana* prædicant, qui docent, quod Redempturis animas, vel Confeſſionalia non ſit neceſſaria Contritio.

36. Quilibet *Chriſtianus* verè compunctus habet Remiſſionem plenariam à pœnâ & culpâ etiam ſine literis veniarum ſibi debitam.

37. Quilibet verus *Chriſtianus* ſive vivus, ſive mortuus habet participationem omnium bonorum Chriſti & Eccleſiæ, etiam ſine literis veniarum, à Deo ſibi datam.

38. Remiſſio tamen & participatio Papæ, nullo modo eſt contemnenda, quia, ut dixi, eſt declaratio remiſſionis divinæ.

39. Difficillimum eſt etiam doctiſſimis Theologis, ſimul extollere veniarum largitatem, & Contritionis veritatem coram Populo.

40. Contritionis veritas pœnas quærit & amat, veniarum autem largitas relaxat & odiſſe facit, ſaltem occaſione.

41. Cautè ſunt veniæ Apoſtolicæ prædicandæ, nè populus falsò intelligat, eas præferri cæteris bonis operibus charitatis.

42. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod Papæ mens non eſt, Redemptionem veniarum ullâ ex parte comparandam eſſe operibus Miſericordiæ.

43. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod dans pauperi, aut mutuans egenti, melius facit, quàm ſi venias redimeret.

44. Quia per opus charitatis creſcit charitas, & fit homo melior, ſed per venias non fit melior, ſed tantummodo à pœnâ liberior.

45. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod qui videt egenum, & neglecto eo, dat pro veniis, non Indulgentias Papæ, ſed indignationem Dei ſibi vendicat.

46. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod niſi ſuperfluis abundent, neceſſaria tenentur domui ſuæ retinere, & nequaquam propter venias effundere.

47. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod redemptio veniarum eſt libera, non præcepta.

48. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod Papa, ſicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro ſe devotam Orationem, quam promptam pecuniam.

49. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod veniæ Papæ ſunt utiles, ſi non in eas confidant, ſed nocentiſſimæ, ſi timorem Dei per eas amittant.

50. Docendi

50. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod ſi Papa noſſet exactiones venialium Prædicatorum, mallet *Baſilicam* S. *Petri* in cineres ire, quam ædificari cute, carne, & oſſibus ovium ſuarum.

51. Docendi ſunt *Chriſtiani*, quod Papa, ſicut debet, ità vellet, etiam venditâ, ſi opus ſit, *Baſilicâ* S. *Petri*, de ſuis pecuniis dare illis, à quorum plurimis quidam Concionatores veniarum pecuniam eliciunt.

52. Vana eſt fiducia ſalutis per literas veniarum, etiamſi Commiſſarius, imò Papa ipſe ſuam animam pro illis impignoraret.

53. Hoſtes Chriſti & Papæ ſunt ii, qui propter venias prædicandas verbum Dei in aliis Eccleſiis penitus ſilere jubent.

54. Injuria fit verbo Dei, dum in eodem ſermone æquale, vel longius tempus impenditur veniis, quam illi.

55. Mens Papæ neceſſario eſt, quod ſi veniæ, quod minimum eſt, una Campanâ, unis pompis & ceremoniis celebrantur, Evangelium quod maximum eſt, centum Campanis, centum pompis, centum ceremoniis prædicetur.

56. Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat Indulgentias, neque ſatis nominati ſunt, neque cogniti apud populum Chriſti.

57. Temporales certe non eſſe patet, quod non tam facile eos profundunt, ſed tantummodo colligunt multi concionatorum.

58. Nec ſunt merita Chriſti & Sanctorum, quia hæc ſemper ſine Papa operantur gratiam Hominis Interioris, & Crucem, Mortem, Infernumque Exterioris.

59. Theſauros Eccleſiæ S. *Laurentius* dixit eſſe pauperes Eccleſiæ, ſed locutus eſt uſu vocabuli ſuo tempore.

60. Sine temeritate dicimus, claves Eccleſiæ merito Chriſti donatas, eſſe Theſaurum iſtum.

61. Clarum eſt enim, quod ad Remiſſionem pœnarum & caſuum, ſola ſufficit poteſtas Papæ.

62. Verus Theſaurus Eccleſiæ eſt Sacroſanctum Evangelium Gloriæ & Gratiæ Dei.

63. Hic autem eſt meritò odioſiſſimus, quià ex primis facit noviſſimos.

64. Theſaurus autem Indulgentiarum merito eſt gratiſſimus, quia ex noviſſimis facit primos.

65. Igitur Theſauri Evangelici retia ſunt, quibus olim piſcabantur viros divitiarum.

66. Theſauri Indulgentiarum retia ſunt, quibus nunc piſcantur divitias virorum.

67. Indulgentiæ, quas Concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales, quoad quæſtum promovendum.

68. Sunt tamen reverà minimæ, ad gratiam Dei & Crucis pietatem comparatæ.

69. Tenentur Epiſcopi & Curati veniarum Apoſtolicarum Commiſſarios, cum omni reverentiâ admittere.

70. Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus advertere, ne pro Commiſſione Papæ, ſua illi ſomnia prædicent.

71. Contra veniarum Apoſtolicarum veritatem qui loquitur, ſit ille Anathema & maledictus.

72. Qui

72. Qui verò contra libidinem & licentiam verborum Concionatoris, veniarum curam agit, ſit ille benedictus.

73. Sicut Papa juſte fulminat eos, qui in fraudem negotii veniarum quâcunque arte machinantur.

74. Multò magis fulminare intendit eos, qui per veniarum prætextum, in fraudem ſanctæ charitatis & veritatis machinantur.

75. Opinari venias Papales tantas eſſe, ut ſolvere poſſint hominem, etiamſi quis per impoſſibile Dei genitricem violaſſet, eſt inſanire.

76. Dicimus contra, quòd veniæ Papales nec minimum venialium peccatorum tollere poſſint quo ad culpam.

77. Quod dicitur, nec ſi S. *Petrus* modo Papa eſſet, majores gratias donare poſſet, eſt Blaſphemia in S. *Petrum* & Papam.

78. Dicimus contra, quòd etiam iſte & quilibet Papa majores habet, ſcilicet Evangelium, virtutes, gratias Curationum, &c. ut 1. *Corin.* 12.

79. Dicere Crucem armis Papalibus inſigniter erectam, Cruci Chriſti æquivalere, blaſphemia eſt.

80. Rationem reddent Epiſcopi, Curati, & Theologi, qui tales ſermones in populum licere ſinunt.

81. Facit hæc licentioſa veniarum prædicatio, ut nec reverentiam Papæ facile ſit, etiam doctis viris, redimere à calumniis, aut certè argutis quæſtionibus Laicorum.

82. Scilicet, cur Papa non evacuat Purgatorium propter ſanctiſſimam charitatem, & ſummam animarum neceſſitatem, ut cauſam omnium juſtiſſimam, ſi infinitas animas redimit propter pecuniam funeſtiſſimam, ad ſtructuram *Baſilicæ*, ut cauſam leviſſimam?

83. Item, cur permanent exequiæ & anniverſaria defunctorum, & non reddit, aut recipi permittit beneficia pro illis inſtituta, cum jam ſit injuria pro redemptis orare?

84. Item, quæ illa nova pietas Dei & Papæ, quòd impio & inimico propter pecuniam concedunt animam piam & amicam Dei redimere, & tamen propter neceſſitatem ipſiuſmet piæ & dilectæ animæ non redimunt eam gratuitâ charitate?

85. Item, cur Canones Pœnitentiales re ipsâ & non usû, jamdiu in ſemet abrogati & mortui, adhuc tamen pecuniis redimuntur per conceſſionem Indulgentiarum tanquam vivaciſſimi?

86. Item, cur Papa, cujus opes hodie ſunt opulentiſſimis Craſſis craſſiores, non de ſuis pecuniis magis, quam pauperum fidelium, ſtruit unam tantummodo *Baſilicam* S. *Petri*?

87. Item, Quid remittit, aut participat Papa iis, qui per Contritionem perfectam, jus habent plenariæ remiſſionis & participationis?

88. Item, Quid adderetur Eccleſiæ majoris boni, ſi Papa, ſicut ſemel facit, ità centies in die cuilibet fidelium has remiſſiones & participationes tribueret?

89. Ex quo Papa ſalutem quærit animarum per venias, magis quàm pecunias, cur ſuſpendit literas, & venias jam olim conceſſas, cum ſint æquè efficaces?

90. Hæc ſcrupuloſiſſima Laicorum argumenta, ſolâ poteſtate compeſcere, nec

nec redditâ ratione diluere, eſt Eccleſiam, & Papam hoſtibus ridendos exponere, & infælices *Chriſtianos* facere.

91. Si ergo veniæ ſecundum Spiritum & mentem Papæ prædicarentur, facile illa omnia ſolverentur, immò non eſſent.

92. Valeant itaque omnes illi Prophetæ, qui dicunt populo Chriſti: Pax, Pax, & non eſt Pax.

93. Benè agant omnes illi Prophetæ, qui dicunt populo Chriſti: Crux, Crux, & non eſt Crux.

94. Exhortandi ſunt *Chriſtiani* ut caput ſuum Chriſtum per pœnas, mortes, Infernoſque ſequi ſtudeant.

95. Ac ſic magis per multas tribulationes intrare Cœlum, quam per ſecuritatem pacis, confidant.

Ab uno
diſce omnes!

Quòd ſi tamen ab unicâ radice tam ampla exurgat *Zizaniorum* meſſis, in qualem, putas, excreviſſet iſta, ſi de reliquis omnibus *Eccleſiæ Romanæ* erroribus, quas potuit *Lutherus*, juſtiſſimas ædidiſſet *Propoſitiones*?

Quàm corruptiſſimus tum fuerat rerum ſtatus, quàm *à Religione* verè Chriſtianâ degenera fere omnia, adeòque quàm *neceſſaria* ubique *Reformatio*, ſatis nos docebunt, quæ ſub idem tempus *ſæculares Principes* & *Status*, *Gravamina*, *ſive abuſus ſedis Romanæ*, *Ferdinando Cæſaris* locum tenente, & *Eccleſiaſticis ſtatibus* conſciis, in capita *ſexaginta ſeptem*, puncta verò *centum* digeſta, vulgo dicta *Centum Gravamina*, tum nuper *Wormatiæ* Anno 1521. colligi cœpta, *Legato Pontificis* exhibuerunt. De quibus *Capite decimo*.

Cap. X.

Centum Gravamina Germaniæ Legato Pontificis *exhibita*, *neceſſitatem Reformationis Papa ipſe fatetur*, *de ſingulari*, *& extraordinariâ Votatione ulteriùs diſquiſitio.*

'1. Continet autem Centenaria illa enarratio abuſus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, Excommunicationum, Conſecrationum, multiplicium exactionum, & caſuum reſervatorum, denegatæ abſolutionis, mendicantium & terminantium impudentiam, Aulicorum Pontificiorum, (*Curtiſanos*, immò *Nebulones vocant*,) *artes*, *quibus beneficia & præbendas invadant*, *& populum pecunia emungant*; multæ etiam concordatorum, quos vocant, ſive pactorum inter Imperatores & Papas contraventiones culpantur. Adducunt indè ſtatus paupertatem ſuam ex fundationibus veterum ortam, quibus factum, ut vix tertia aut quarta pars bonorum Laicis ſuperſit, & ideo Turcis reſiſti non poſſe, niſi large contribuentibus Eccleſiaſticis, & quidem ex arbitrio Epiſcoporum *Germanorum*, non Pontificis; & niſi aurum, argentum, aliaque pretioſa Templorum in uſus publicos convertantur. In flagitia verò Clericorum, & quæ inprimis ob interdicta Matrimonia per Impudicitiam committunt, & ære redimunt, vehementer invehuntur, pœniſque eiſdem, quibus Laici plectuntur, coerceri delinquentes volunt. Feriarum numerum minui

deſiderant:

'desiderant: Ablata *Teutonici* Ordinis equitibus in *Italiâ*, & *Siciliâ* prædia 'sive Commendas restitui flagitant, bonorum Immobilium posthac ad Cle- 'rum proventientium reluitionem sibi concedi, onera verò fundorum ab eis 'præstari, ab hæreditatibus repelli Clericos, & ut iis renuncient, cogi de- 'bere contendunt. Sunt tamen, quæ Religionem strictius attinent, *v. g.* 'quòd humanis traditionibus multa prohibeantur, quæ nullo divino præcepto 'interdicta vel imperata sint, eaque post modum pecunia accepta relaxentur, '(*c.* 1.) quòd per Indulgentiarum Impostura, & fraudes profligata fuerit '*Germana Christianorum* pietas, immò Christi; quodque incestus, stupra, a- 'dulteria, perjuria, homicidia, facta, rapinæ, fœnora, at tota malorum lerna 'inde originem apud credulos nimis ad prædicationes tales *Germanos* traxe- 'rint, (*c.* 2.) quòd stationarii Sanctos singulorum pene morborum averrun- 'cos lucri causa constituerint, *Antonianorum* Monachorum exemplo, (*cap.* 4.) 'quòd Pastores mercede conducti & plurimum indocti, pro Evangelii lim- 'pidissimo fonte turbidas, protritas ac ruderibus oppletas, propinent lacunas '& fabulas gentibus simillimas, per quas plebs à *Germanâ Christi* fide, & in 'Deum fiduciâ ad hominum superstitiosa commenta, & somnia abstrahatur. '(*cap.* 14.) Quod sacra omnia, Missæ etiam vendantur. (*cap.* 67, 68) Alia 'præterimus, sicut & pene omnes Clericorum artes pecuniarias, in gravami- 'nibus istis descriptas, quas Protestantium Ecclesiæ, excusso jugo *Romanæ* se- 'dis, jamdudum neque senserunt, neque nunc, quales fuerint, satis intelligunt; 'ut adeò Gravamina ista iis potius legenda & expendenda sint, qui oneribus 'talibus etiam nunc premuntur.

2. Inferam hic, quæ supra in actis Anni 1518. referenda fuissent, tunc 'temporis in Comitiis *Augustanis Maximiliano* I. Imp. exhibita gravamina, 'ex *Goldasto* Polit. Imp. Part. 22. & *Wolfio* Tom. II. Memorab. edit. sec. fol. '212, 213, 214. quæ licet tanquam à *Lutheranis* composita essent, suggerat '*Maimburgus*, id quidem fieri nequibat. Illa sane *Lutherani* non composue- 'runt, *Luthero* tunc nondum à *Cajetano* audito, nec à Pontifice condemnato. 'Immò longe prius conscripta apparet, quia sanctionis pragmaticæ in *Gallia*, 'ut vigentis & imitandæ mentio fit, quæ tamen jam Anno 1516. in Concilio 'Laterensi abolita erat, ut narrat, & vehementer queritur *Richerius* lib. IV. 'Hist. de Concil. Part. 2. p. 32. & seqq. Fateor in his quoque errores do- 'ctrinæ non allegari, miscentur tamen quæ ad graviora curanda viam ape- 'ruissent, si obtineri potuissent; ut judicare licet ex præcipuis eorum con- 'tentis quæ sequuntur. Decem erant gravaminum capita, quorum primum 'his verbis conceptum est: (1.) quod ad servandas Bullas, pacta privilegia, & 'literas ab antecessoribus absque omni derogatione concessas, successores Pon- 'tifices teneri se non arbitrantur: Immò per crebras dispensationes suspensi- 'ones, revocationes, ad cujuscunque (etiam vilis) personæ instantiam con- 'traveniunt. (2.) Queruntur, quod Electiones Prælatorum quandocunque 'rejiciantur. (3.) Speciatim Præpositorum, quorum tamen eligendorum jus 'multo ære impetratum fuerat. (4.) Quod beneficia & dignitates majores 'Cardinalibus & Protonotariis reserventur. Hinc fiebat, quod alibi notavi- 'mus, ut parochiæ præcipuæ aulicis Pontificiis collatæ, ab eis postmodum 'hominibus nullius doctrinæ & pietatis locarentur, qui pensiones *Romam* 'mitterent. (5.) Quod gratiæ, quas vocant, expectativæ absque numero & ad

'unum

'unum sæpe collatorem concedantur, unde quotidianæ surgant lites, & pe-
'cuniæ dilapidentur, adeo, ut in proverbium abierit, quod is, qui talem
'gratiam impetraverit, centum, aut ducentos aureos in cistâ reponere de-
'beat, quibus ad prosequendas lites utatur. (6.) Quod Annatæ absque dila-
'tione & misericordiâ, ultraque modum exigantur. (7.) Quod Ecclesiarum
'regimina minus dignis committantur, qui ad Mulos magis, quam homines
'pascendos & regendos sint idonei. (8.) Quod Indulgentiæ novæ cum re-
'vocatione aut suspensione veterum (Laicis contra Clerum murmurantibus,)
'ad corradendas pecunias concedantur. (9.) Quod decimæ sub prætextû ex-
'pugnandorum *Turcarum* exigantur, nulla expeditione subsecuta. (10.) Quod
'causæ quæ in *Germaniâ* à doctis, & justis Judicibus terminari possent, ad
'tribunalia *Romana* indistinctè trahantur.

3. Sed (præteritis ut satis tritis, notisque quæ *Luthero* falsissimo objiciuntur,) instar omnium erit, quam in *Adriani* instructione, Corruptelarum, & necessariæ Reformationis confessionem habemus; Ita enim p. 129. loquitur Pontifex: 'Scimus in hâc Sanctâ sede aliquot jam annis multa abomi-
'nanda fuisse; abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & omnia deni-
'que in perversum mutata. Nec mirum si ægritudo à Capite in membra, à
'summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Omnes nos
'(id est, Prælati Ecclesiastici,) declinavimus quisque in vias suas; nec fuit
'jam diu qui faceret bonum, non fuit usque ad unum: quamobrem necesse
'est, ut omnes demus gloriam Deo, & humiliemus animas nostras ei: Vi-
'deat unusquisque nostrum, unde ceciderit: & se potius quilibet judicet,
'quàm à Deo in virgâ furoris sui judicari velit. Quâ in re, quod ad nos
'attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, ut primum curia hæc,
'unde forte omne hoc malum processit, reformetur: ut sicut inde corruptio
'in omnes Inferiores emanavit, ita etiam ab eâdem sanitas, & reformatio
'omnium emanet. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos repu-
'tamus, quanto Universum Mundum hujusmodi Reformationem avidius desi-
'derare videmus.

4. Et quid nunc, Otrokocsi, *Luthero, sociisque ejus* peculiare imputari poterat, in eandem *Universo Mundo* (Papâ ipso confitente,) sententiam eunte? An ipsis Reformationem, non licebat, flagitare, quam omnes hominum status ordinesque toties, tamque justè ac vehementer flagitarant? Aut quoniam objicis, nihil ipsis de [a] *tempore* constare, quo *opus istiusmodi* suscipi oportebat; audias ergo *Regium Prophetam*, Psal. 119. v. 126. עֵת לַעֲשׂוֹת לַיהוָה הֵפֵרוּ תּוֹרָתֶךָ *Tempus faciendi Domino, dissipaverunt,* [irritam fecerunt] *Legem tuam.* [a] *Exam. Ref. p. 60, 61.*

5. An, quoniam sic id exprimis, nempe 'debere illos, quicunque à Deo
'singulariter excitantur, & mittuntur ad hoc, ut suo ministerio Ecclesiam
'Dei ab aliquo cœtu, & populo errante ex Hypothesi, attamen firmiter ad-
'huc in suo statu, & sublimi Autoritate à multis seculis stante, separent; cer-
'tos esse ex Verbo Dei, & Spiritu S. eos docente, tempus jam adesse fidelibus
'deserendi penitùs communionem talis cœtûs ac populi;' Certius quid esse potest, quàm *tempus illud adesse*, quandocunque *Lex Dei* ab hominibus irrita facta fuerit? Sic hîc nos docet non tantum Spiritus S. sed & *qui* inter Pontificios, (proh generis *humani*, ideoque *infirmi, ac fallacis* μεῦτον ψεῦδος) *infallibilis* audit.

6. Nolim Ego cramben Tibi, vel mihi recoquere; ſed quia tamen *tanti* tibi videntur argumenta, (inque *eis tantus es*,) quæ affers [b] (1.) *de ſingulari & extraordinariâ ad tanti momenti opus à Deo Vocatione habendâ*, necnon de (2.) *Tempore* eidem præfinito, de quo ſic Fideles vis eſſe tam infallibiliter certos; Ad hæc Ego, ne putes Te, ſive *internâ* (quam vereor, ut *mentitus ſis*) *ſive externâ tuâ voce*, (quæ, utinam nequeam dicere, *mendaciis*, certè *mendaciſſimis ratiociniis* nimium addicta videtur,) quicquam hîc profeciſſe, pauca adhuc ulterius reponam.

b *Exam. Ref. p. 60.*

7. Recognoſcas ergo, velim, quantum *ad tempus*, non illud aliter deſignari, *Iſaiæ* c. 52. v. 11. quam per *adjuncta*: [c] ſcilicet per *immunda illa*, à quibus purgari debuerant *portantes vaſa Domini*: nec ad *Corinth.* Ep. 2. c. 6. v. 17. aliter quàm per *iniquitatem*, *Tenebras*, *Belial*, *infidelitatem*, *Idolatriam*, à quibus *ſeparare* ſe debuerat *Dei populus*.

c *Cap.* VII. *par.* 4, 5.

8. Iſta ubicunque ſcateant, ſatis *ipſum tempus* circumſcribunt; nec magis quærendum eſt ultra, an oporteat *fideles ab iſtis ſeparare ſe*, quàm an *domus iſta* devitanda ſit, cui *peſtis* inſcribatur?

9. Quanquam poteram & *tempus* illud, (*Reformationis* volo, eò enim pertinere, *Apocalypſ.* c. 14. v. 15, 16. conjicio,) aliter deſignatum indicare; ſed id hîc dicere ſuperſedeo: Hoc duntaxat obſervato, quòd quandocunque (pro analogiâ contextûs illius,) *immineret*, *adeſſe*, vel *præceſſiſſe Vindemiam* illic prædictam experiemur, præceſſiſſe *Meſſem* ibidem *memoratam*, non erit diutiùs dubitandum.

10. Quantum verò ad *ſingularem illam*, & *extraordinariam Vocationem*, fateor me non *illam* ſic *neceſſariam* judicare, ut putem nemini licere, quæ ad *Reformationem* tendunt, omnino aggredi, niſi qui ſit ſic vocatus.

11. Nec enim tum, non modò non *perſonæ cuiquam privatæ*, ſed ne *poteſtati cuicunque* inter Homines conſtitutæ, ſive *Principi*, ſive *Regi*, ſive *Sacerdoti*, ſive *Epiſcopo*, ſive (cujus *favori*, quaſi oblitus quomodo in *causâ ejus olim navigáſti*, jam tantopere *velificaris*,) *Papæ* ipſi liceret *atrociſſima* quævis *ſcelera*, *ſuperſtitionem*, atque *Idololatriam* coercere.

12. *Singularem* quidem, atque *extraordinariam Vocationem* habuit *Moſes*; *ſingularem Vocationem* habuit *Joannes Baptiſta* & *Chriſtus ipſe*; Quoniam *nova* ab *ipſis introducenda* fuit *Religio*, ſed *introductâ* tamen *hac*, *conſtitutâ Eccleſiâ*, *conſtitutiſque Legibus*, quibus *regatur*, *corrigatur*, *redintegretur*, *reformeturque*, quid opus eſt ad *extraordinaria* confugere? aut quî, ſi quid *extraordinarium* obtendatur, judicari poſſit, an ſit à Deo?

13. Sub *œconomiâ* quidem *Moſaicâ*, quò probaretur *Propheta*, ad miracula provocandum erat, nondum *conſignato Canone*; at non tam *neceſſaria* videntur *ea*, quum nihil adhuc reſtet, quod aut *ulteriori Revelatione*, aut *tali egeat probatione*: Adeóque Prophetante *Malachiâ*, juxta ac *Joanne*, ulteriori Prophetiæ finis ponitur, *Malach.* c. 4. v. 4, 5. *Joan.* 2. v. 18.

14. Nec faciet contra, quòd *Apoſtolis*, & *Primitivis Chriſtianis* conceſſum eſt miracula edere, donec *ſtabilienda* fuerat *Oeconomia Evangelica*, quum *ſtabilitâ hac*, ceſſare *hæc* ſtatim cœperunt: Aut cur in *Reformatione ejus* expectarentur, aut cui uſui *tum* eſſent, non ſatis video; quum non poterit *illa* aliter *Reformari*, quàm *Oeconomia ipſa jam conſtituta* edoceret.

15. De *Antichriſto* quidem dicitur *Apocalypſ.* c. 13. v. 13. *quòd faciet* σημεῖα μεγάλα,

μεγάλα, *magna ſigna*; & *Chriſtus* ipſe prædixerat, *Matth.* c. 24. v. 24. ἐγερθήσονται ψευδόχριστοι, καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα, καὶ τέρατα, ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. *Surgent Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut ſeducant, ſi poſſibile ſit, ipſos electos.*

16. Et quidem *His*, opus erat *præſtigiis ipſis*, quibus *adulterinas ſuas merces* incautis Hominibus commendarent; at *veritati*, (quæ nunquam *tam pulchra*, quàm *quum nuda*,) quis fucorum pictorumque colorum uſus?

17. Adeò non poteſt hoc eſſe *Reformationis legitimæ* τεκμήριον, quod *Reformationis omnis* adverſariis, quaſi *proprius* quidam, ac *primarius eſt Character*.

18. Nec velim ergo *ſingularem illam*, & *extraordinariam Vocationem* tanquam *neceſſariam* operi huic ultra poſtulares; quam ſi præ ſe non tulit *Lutherus*, nec erat, cur præ ſe ferret; quum, quicquid *hujus* requiri poterat, quam habuit, *ordinaria* ſuppleverit; immò quicquid *Roma ipſa*, quicquid *Pontifex* conferre potuit, eo ipſo donatus fuerat, quòd in *Eccleſiâ illâ Sacerdos* erat creatus; Ad cujus munus quum ſpectet, κηρύξαι τὸν λόγον, ἐπιστῆναι εὐκαίρως, ἀκαίρως, ἐλέγξαι, ἐπιτιμῆσαι, παρακαλέσαι ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ, καὶ διδαχῇ, *prædicare verbum, inſtare tempeſtivè, intempeſtivè, arguere, increpare, obſecrare in omni longanimitate, & doctrinâ*, Tim. Ep. 2. c. 4. v. 2. non poſſum videre, quî ſe excuſare poterit, quiſquis ad *id* ab *Eccleſiâ*, & *Deo* vocatus, (ſic autem omnes *ſacris ordinibus* initiati, *vocari ſe* profitentur,) non *ſummâ* cum vehementiâ, zelo, & Conſtantiâ *opus Evangeliſtæ* facere, *miniſterium que ſuum* πληροφορῆσαι, v. 5. *plenum, perfectumque reddere* enitatur: Hoc autem qui fecerit, non poterit non, quæcunque ad *Reformationem* tendunt, quàm fideliter præſtare.

19. Adeò non eſt certè tam vitio dandum, quòd *unus aliquis Evangelii miniſter in hoc tanti momenti opere* nimius ſit, quàm quòd omnes omnium curæ, & cogitationes in *eodem* non elaborent.

20. Id tantum in animo habeant, ſe *Dei opus* ſuſcipere, ejus *gloriam, honoremque* velle promovere, nec ab *Evangelio alienum* eſſe, quod prædicaverint; nec dubitent *ſibi* minùs, quam *Paulo, poſt certamen illud pulchrum, quod ſic certaverint, poſt curſum ſic impletum, Fidem ſic ſervatam, repoſitam eſſe Juſtitiæ coronam, quam reddet ipſis Dominus in illo die,* ὁ δίκαιος κριτὴς, *juſtus Judex; non ſolùm autem illis, ſed & omnibus diligentibus adventum,* τὴν ἐπιφάνειαν, *manifeſtationem ejus.* v. 8.

21. Et, ſi *quid reprehenſionem Severiorem mereatur*, ſi *quid ſit, in quod in illo die* acrius animadvertetur; ſi *quid in quo ſe* tum magis turpiter daturi ſint *Evangelii Miniſtri, hoc illud* certè erit; quod ſic prodiderint Miniſterium ſuum, ut aut *opus ſuum* nimis *negligenter ipſi* præſtiterint, aut præſtandum *aliis* tranſcripſerint.

22. Non quòd non putem *diligentiam quoque ſuam* hîc adhibere debere *Magiſtratum*; ſed fecerit, necne *ille*, non excuſandum tamen eſſe è *Clero* quenquam, qui non *ſe totum* muneri huic *intra limites provinciæ ſuæ* dediderit.

23. *Ampliari* autem poſſint quotidie *illi limites*, ſi ex eo, quod primùm quis intra *privatam ſuam Parochiam*, aut *ubicunque alibi* id ipſi incumbat, *graviter*, & *piè* præſtiterit; aut *vocante Magiſtratu*, aut ad id *invitante Eccleſiâ*, i. e. *aliis Chriſtianis cœtibus*, idem apud ſe præſtari cupientibus, quaſi

dilatetur

dilatetur *provincia.* Non enim ad id *sacris Ordinibus* initiatus est quis, ut uni tantum *Parochiæ, finito huic,* aut illi *Christianorum numero,* sed, quantum res ferat, *Universæ Ecclesiæ Christianæ* deserviat; id solùm requiritur, ut non *alienæ messi falcem* immittat, nisi *invitatus,* aut *divinâ Providentiâ* aliter ferente, quasi ab ipsâ *jam peculiariter vocatus.*

24. Fuit autem is rerum status *prædicante & reformante Luthero*: Quod primùm fecit, id erat scilicet; quòd *Officii ratione,* enarratâ ab ipso *Epistolâ ad Romanos, Psalmisque, Legis & Evangelii* discrimen monstraverat; *erroremque illum* tunc in scholis, & concionibus frequentatum, quo *docetur Homines mereri remissionem peccatorum operibus, & Homines coram Deo esse justos disciplinâ,* refutaverat: Adest *Indulgentiarum* circumforaneus *institor Tecelius,* quibus *Gratia Dei, merita Christi,* adeóque humani generis *æterna salus,* non aliter quàm per Christum consequenda, protenus elevantur.

25. Quid faceret jam *Dei servus, Minister Christi,* ut loquitur *Apostolus* ad Rom. 1. 1. ἀφωρισμένος εἰς εὐαγγέλιον θεοῦ, *separatus ad Evangelium Dei?* Debuerátne ille adstare ociosus Auditor, nec quicquam reponere? ne tum quidem, quum Evangelium ipsum periclitetur? Audias ergo, Otrokocsi, quid *Ezekieli* Deus ipse dixerit, *Ezek.* c. 3. v. 17. בן אדם צפה נתתיך לבית ישראל ושמעת מפי דבר והזהרת אותם ממני: *Fili hominis, Ego Te speculatorem dedi domui Israel, & audies de ore meo verbum, & admonebis eos à me.*

26. Audiveratne *Lutherus verbum de ore Dei?* quid est *omnis Scriptura sacra,* nisi *illud verbum? Epistola ad Romanos, Psalmique quibus enarrandis,* ille tum navabat operam, nihil *aliud* erant, quàm quod per Spiritum suum sanctissimum Deus ipse prius *enarraverat*; & quid nunc *Ille,* aut *quisquam alius à summâ* Cœli, Terræque *Majestate* ad hoc *vocatus* (*ordinariè,* an *extraordinarie* id perinde est, quum non tam *quomodo,* quàm *à quo vocatus,* aut *missus sit quis,* id maximè referat,) à se fieri debere sentiat? *quid,* nisi *id ipsum,* quod hic fecit *Ezekiel*? quid autem *illud erat,* nisi ut *moneret impium, loqueretur*que *ad monendum impium à viâ suâ impiâ, ut vivat*?

27. Quòd si dum sic fecerit, inimici ipsi capiendi universi sint homines, si *rebellis sit & obstinata gens,* ad quam mittitur, *ipsi & patres eorum,* cap. 2. v. 3. Si sint קשי פנים וחזקי לב, *duri vultu, & obdurati corde,* v. 4. *utrum audierint, aut non audierint,* non debuerit ille *rebellis* esse, sicut *ipsi,* v. 8. *quin sciant fuisse inter ipsos prophetam*: v. 5. sint licet ipsi *tribuli, spinæ, ac scorpiones,* dilacerent, stimulent, feriant, lancinent, virus effundant, *nec ab eis, nec à verbis, nec à facie eorum* timendum erit: v. 6.

28. Non hoc fecit *Lutherus,* tam *fortis,* tam *infractus,* tam *lætus* in omnibus, ut vel ex hoc discendum sit, non *alio* illum *Spiritu* duci, sustentari, animari, quàm *quo missus* est, nimirum planè *divino.*

29. Hæc fuerant prima, quæ *Lutherus* dedit, initia; at quid tum postea? *Iterum atque iterum provocatus,* ad inimicorum *calumnias* respondit, *scripta ipsorum* refutavit, & quum senserit sibi *summa* imminere *pericula, causam suam præjudicatam, se extremo exitio addictum, vitæ suæ insidias* fieri, detrectavit illud *Tribunal, ubi* nulla justitiæ *spes*; à *Cajetano ad Papam, à Papâ ad Concilium generale provocavit.*

30. Quod

30. Quòd si non *tum* quum *primùm cum Tecelio* certamen iniit, 'd de *futura mutatione* rituum quicquam suspicaretur, aut somniaret; si *Cardinali Cajetano promissum etiam silentium fuisset*, si adversariis ejus silentium indiceretur'; si nec adhuc decrevisset se deinceps alia moturum certamina; sed 'tranquillitatis cupidus fuisset, si paulatim tantùm ad alias materias pertractus esset, undique lacessentibus eum indoctis Scriptoribus'; Ignoscas saltem, Otrokoesi, *illam injuriam*, quòd sic *lenis*, *mitis*, at *mansuetus* erga tam *feroces*, *sævosque grassatores* fuerat; ignoscas, quòd tam *invitus* in *sui defensionem* etiam trahitur, quòd sic saltem reveretur *illam Ecclesiam*, *quæ tam duram* ergo ipsum *Matrem* se quotidie probabat; nec *tum* quoque dubitaret *capiti* ejus obsequium profiteri, quum tam sui oblitum sit *illud caput*, ut *membris suis* insidiaretur.

31. Non renunciavit Lutherus *Ecclesiæ Romanæ* ante Annum 1520. (*Melch. Adam. p.* 114.) nec nisi coactus etiam tum renunciâsset; si spes aliqua fuisset, renunciaturam illam corruptelis illis, quibus, ut supra observatum est, fatente ipso Papâ (*Seckendorf p.* 115.) tam *necessariam fuisse Reformationem* plus satis patebat; si quod opportunum remedium adhuc restitisset, ne tum quidem recidisset Gangrænam; sed quum illa magis, magisque indies serpat, quum sic *desperata omnia*; cur non desereret ille *communionem istam*, quæ *pietatem omnem veram*, *quicquid sanctum*, *quicquid purum*, *quicquid verè Christianum*, ipsa prius deseruerat?

32. Claudant argumentum hoc *Davidis verba*, quum *Goliathe* prodeunte adversus *Israelitas*, *& exprobrante exercitus Dei vivi*, *invido*, *malovoloque Eliabo*, sic responderet, *Quid nunc feci? Annon est causa?* 1 Sam. c. 17. v. 29. Ecquid fecit *Lutherus*, quod non *piissimus quisque* fecisse se optaret? aut ut ad Te redeam, *tuoque* tandem *argumento* cedam, annon *talis causa pro singulari plane ac extraordinariâ Vocatione* haberi potuit?

Cap. XI.

'*Secundum tuum Argumentum ex eo ductum est*, Cap. III. *quòd qui* specialiter à Deo mittuntur *ad Ecclesiam restaurandam*, *illi unam ex præcipuis curam hanc habent*, *ut pro publico Ecclesiarum bono*, *pacem*, *& unionem publicam*, *atque Charitatem in pectoribus fidelium generent*, *quod* Lutherus, ejusque socii *minime fecerunt*.

1. *Pacem & unionem publicam*, *atque Charitatem in pectoribus fidelium generandam esse*, & Præcepto Christi *Joan.* c. 13. v. 34, 35. & *Apostoli* 1 *Cor.* c. 1. v. 10. atque alibi facile concedo, locumque *Isaiæ* c. 60. v. 17. eò pertinere lubens recognosco: Quod tamen Tibi [a] assumis, non his studuisse *Lutherum*, *sociosque ejus*, neutiquam admittendum esse censeo. [a] *Exam. Ref. p.* 88, 89, 90, 91, 92, 93.

2. Nec enim quicquid *Horum aliqui* quacunque de causâ effutiisse assimulantur, statim eò tetendisse judicandum, ac si *paci*, *& Charitati* vis fieret.

3. Potest esse inter *Paulum* & *Barnabam* παροξυσμὸς ὥστε ἀποχωρισθῆναι αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, *tam acris contentio ut ab invicem separent se*: Actor. c. 15. v. 39. & tamen uterque *tradi possit gratiæ Dei à fratribus*, atque abire ad *confirmandas Ecclesias*, v. 40. 41.

4. Potest

4. Potest *Paulus* κατ' πρόσωπον τῦ Πέτρε ἀντῆναι, *Petro in os resistere*, potest & *Petrus* καταγνωσθῆναι, *Culpandus, reprehendendus, damnandusque* esse ad *Galat.* c. 2. v. 11. potest & ὑποστέλλειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτόν, *subducere & separare seipsum Petrus*, eousque ut *cum ipso* quoque *Judæi* simul *Hypocriticè agant*; atque ipse *Barnabas* συναπαχθῆναι αὐτῶν τῆ ὑποκρίσει, *Hypocrisi eorum simul abducatur*; v. 13. possunt *Petrus* & *Barnabus* ἐκ ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τῦ εὐαγγελίυ, *non recto pede incedere, quoad veritatem Evangelii*, v. 14. & tamen cùm *Petrus*, tum *Barnabas*, *eidem Evangelio* deservire.

5. Quid inter patres, *Hieronymi* atque *Augustini* lites, aliaque id generis commemorarem? Si *dissensio omnis* inter *Doctores Ecclesiæ* statim abiret *in Schisma*, nunquam quidem fere *non lacera*, nunquam *integra* extitisset.

6. Nec tamen ista, velim, dicta putes, tanquam quas Tu tam liberaliter *Lutherò, sociisque ejus* affingis, calumniis omnibus protenus fidem adhibendam judicem; non sic dissenserunt ipsi, quum hic in terris, quin, (quod in extremis Vir quidam probissimus dixisse fertur, *non dubitare se quin eos in cœlis mox visurus esset rite conciliatos*,) in æternâ illâ pace jam simul compositos meritò sperem; quam, vereor, ut adepturi sunt isti, qui idem putant esse, *Deo*, ac *Papæ* reconciliari; *veniamque*, ad quam aliter jus nullum habere videantur, in *Indulgentiis illius*, cujus *ipsius peccatorum* non est *minimum*, quod *eadem* aulit concedere (proh Sacrilegam vani hominis audaciam!) quærere non perhorrescant.

7. Atque hæc *secundo tuo argumento*, (quod inquis, [b] *Capite* septimo infrà plenius intelligemus,) imprælientiarum reposuisse sufficiet: pergo ad *tertium tuum argumentum Capite* IV. adductum.

Cap. XII.

* *P.* 105. [c] * *Quod Doctorum* specialiter à Deo missorum *primaria cura est, pro privatâ uniuscujusque salute, timorem, amoremque Dei, & veram vitæ sanctitatem pectoribus Hominum ingenerare.*

1. ET His, quid *Luthero, sociisque ejus* charius fuerat? *percurre* illorum *scripta*; *investiga* illorum *vitas*; *exquire, perscrutare, excute*, quicquid aut *malevolentia* dictare queat, aut *invidia*; quicquid *mendaciorum pater*, aut *filii ejus* comminisci; nec invenies *quicquam*, (exceptis *infirmitatibus iis humanis, quibus* omnes obnoxii sumus,) quod non *timorem, amoremque* Dei, & *verissimam sanctitatem* quasi totum spiret.

2. De *Furtis, adulteriis, Homicidiis, Perduellione*, genere omni *crudelitatis* & *sævitiæ. immanissimâ* erga *Fratres Christianos Barbarie*, qualis etiam-
a *Tim.* 1. c. 4. *v.* 1. num passim *Christiani Orbis* exercetur, [a] *Luxu, avaritiâ, superstitione, idolatriâ, doctrinis* [& factis] *dæmoniorum*, purgent *se* primùm, opus est, qui *alios* incusant *probri.*

b *Exam. Ref p.* 108. 3. Quanquam quid est tandem, quod in *his* omnino reprehendas? [b] *odium invidiam, dissidia, contentiones, Philautiam, præsumptionem, ambitionem, niniam sui complacentiam, aliorumque contemptum* Antesignanis illorum non veritus

veritus es imputare; at cur non *oderint*, *quæ* tam justè arguebant, *vitia*? cur non de *veritate* contenderent? cur non etiam *sibi complacentes gauderent*, *exultarentque animis*, quibus *illam Deus misericors*, *optimusque* concesserat *gratiam*, quæ *Reformandis hominum moribus*, & *Religioni* quoquam modo sufficeret? cur non planè piè triumpharent, quibus [c] ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ, οὐ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν, *donatum est* [gratiâ quasi peculiari datum,] *pro Christo*, *non solùm in eum credere*, *sed & pro illo pati*? c *Philip.* 1. *v.* 29.

4. Cur non *præ se alios* contemnerent? (non sic dico, nec sic illi unquam fecerunt,) sed cur non tamen in eorum *vitia* despuerent, qui prætextu *sanctissimæ Religionis*, prædicta jam nunc scelera tegere sperant? *sibi* verò interim contra ista omnia *testimonium* ferre *dignatis*, *sibi* (liceat Apostoli verbis uti,) [d] *Christi passionum participibus cur non complacerent*, gauderentque, ἵνα καὶ ἐν τῇ ἀποκαλύψει τῆς δόξης αὐτοῦ, ut & *in Revelatione gloriæ* ejus *gaudeant exultantes*? cur non, (iterum dico,) *complacerent*, abundè *sibi complacerent*, ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' αὐτοὺς ἀναπέπαυται, *quòd Spiritus gloriæ*, *ac Dei super ipsos requieverat*? d 1 *Pet.* 4. *v.* 13.14.

5. Et gratias quidem *Spiritui illi*, quòd, (licet per *alium Spiritum* ista *Tu* pervertas omnia,) nihil tamen habeas, *Otrokocsi*, quod *Antesignanis illis* imputes, nisi de quo nec Tu, nec quisquam hominum rite valeat judicare.

6. Ecquid enim *Tu* Καρδιογνώστης, tam æquus *Scrutator*, ac *arbiter alieni cordis*, ut quæ *illic intus* sunt, *palam* efferre, & censere ausis? ad *internas* quippe hominum *cogitationes*, & *ipsos* abditæ *mentis recessus* pertinent, quæ attulisti, fere omnia, nec ad *humanum tribunal* citari possunt:

7. Sed est, & semper fuit ista *Serpentis veteris* astutia, ut Hominum quoque *animis insinuare sese* simularet, *eaque* excutere videretur, *quæ sola* divinus oculus perlustrat; adeóque quum nihil pateat, quod aut is, aut *Asseclæ ejus* deprehendere queant, *Hypocrisis*, *Superbia*, aut *Ambitio* statim inclamabitur; Quum revera nihil justè incusari potest, nisi [e] *inimicitia ista perpetua*, *quam* inter *ipsum semenque ejus*, *ac semen mulieris posuit Deus*, *quamqne* exercere nec *is*, nec *semen ejus ab eo tempore*, quo eidem addicti sunt, cessavit unquam, nec cessabit. e *Gen.* 3. *v.* 15.

8. Quoniam verò id *Protestantibus* quasi vitio das, quòd [f] ‘ habent quidem subinde verbum Dei in ore suo; volvunt Biblia, manibus, mente, & ‘ ore frequenter, concionantur ad populum multi eorum in tantâ efficaciâ ‘ humani sermonis, affectuumque commotione, ut simplicioribus, & ad aliquam pietatem aspirantibus, pro potenti *demonstratione Spiritûs Dei*, vox ‘ eorum habeatur: ’ id Te rogatum velim, an *hæc* Tu, an *Indulgentiarum prædicationem* (inde enim omnis exorsa est quæstio,) *ad timorem*, *amoremque*, *& veram vitæ sanctitatem pectoribus hominum ingenerandum* magis efficacia judices? f *Exam. Ref. p.* 114.

9. Aut putes etiam *Lombardum*, aut *Comestorem*, *Thomam*, aut *Scotum*, aut quemcunque alium è *Scholasticorum* omnium grege, sic philosophatum esse, ut, quantum ad *promovendam hominum salutem*, *Syncerus* quisque Evangelii præco non eos multis modis antecellat? Et verò adeò in hoc fere ubique deficiunt *Pontificii*, ut [g] *clavem scientiæ prorsus auferentes*, *ipsi non intrent*, *& introeuntes prohibeant*. g *Luc.* 11. *v.* 52.

10. Et jactent nunc *ingenerare se velle pectoribus hominum veram vitæ sanctitatem*, quibus *verbum Dei*, *ipsam bene vivendi normam* abripiant; jactent *timorem*, *amoremque Dei* illorum *pectoribus* ingenerare *se velle*, *qui* ex *Decalogo præceptum* illud ejiciunt, *secundum volo*, quo *timor*, *amorque* illius præcipuè, saltem strictissimè injungitur!

11. Unum tantùm hic adjicio; deprædicent *se*, *suamque pietatem*, quantum quantum velint, *Pontificii*, dum eousque *Idololatriam* foverint; vereor tamen
h *Exod.* 20. *v.* 5. ne [h] *ipsos* & quotquot invenerint, *Suffenos*, (ex quorum numero utinam excipere se posset *Otrokocsi*,) inter eos, qui *ipsum oderunt*, reputaverit Deus:

12. Et si quid, post *Idololatriam*, *Odii* ejusdem nos reos reddet; si quid, ut
i *Rom.* 1. *v.* 30. Apostolus loquitur, [i] Θεοστυγεῖς, Deum nos exosum, Deoque magis exosos nos dabit, primas certè sibi isthic vendicabunt *indulgentiæ*, quippe quæ *pietatem* omnem radicitus evertunt, vitiisque omnibus *eam fenestram* aperiunt, quâ ad *Gehennam rectâ* tendant profani.

13. Quid enim hîc libidines stulti refrænarent, quid spernerent voluptates, iracundiam tenerent, coercerent avaritiam, cæteras animi, aut corporis labes repellerent, quas tam facile redimere queant mortui?

14. Quid lucro, ut ut injusto, rem suam, *dum superstites*, augere vererentur, quum *quicquid* per id peccatum sit, *minimâ ejus parte*, *post vitam* impiissimè *Actam*, redimere norint? Quid illos hîc *Orphanorum lachrymæ*, aut *Viduarum planctus* tangerent, quorum animas *jactus nummus in Cistam tinniens*, (sic *Indulgentiarum institores* deprædicant,) *lætiori sono* ex *Purgatorio* protenus evocabit?

Cap. XIII.

'In quo de quarto tuo argumento, Cap. v. *p.* 124. *ex eo desumpto, quòd Regnum Ec-*
'clesiæ Protestanticæ, *per* Lutherum, *aliosque introductum, cum magno, & valde ob-*
'servabili strepitu mundano est ingressum.

1. ET quid ni sic *ingrederetur*, quum non minus erat illa *Res Imperii*, quàm *Lutheri*? *Suis* quippe sub *Gravaminibus Resp.* æquè ac *Ecclesia* diu gemuerat, & frequenter querelas gravissimas exhibuerant alii atque alii
a *Adam. p.* 125. Principes; & jam tandem, (quum [a] Anno 1523. 'in Comitiis *Norimbergæ*, ab-
b *pag.* 119. 'sente Cæsare, celebratis, [b] *Edicto Wormatiensi*, (quo Imperator ipsi minus 'æquus videbatur,) fuit derogatum, deque eâ re conquereretur *Legatus Pon-*
'*tificius*, pœnam de *Luthero* ex *Edicto Cæsaris* non esse sumptam;) Respondе-
'runt *Principes*, plerosque conqueri de *curiâ Romanâ*, & plerosque in *Ger-*
'*maniâ* ita *Lutheri* concionibus & scriptis esse eruditos; ut, si ex illo decreto
'ageretur, maxima sit oritura inde seditio; & fore, ut ita interpretentur;
'quasi oppressâ veritate, exstinctâque Evangelii luce; manifesta vitia, quæ
'tolerari, aut dissimulari diutius non possint, defendantur:
c *pag.* 118. 2. Quin iidem Principes [c] prius monuerant *Lutherum*, 'tum, quum *Wor-*
'*matiam* citaretur, ut *fortiter rem ageret*, neve *animum desponderet*, *aut ti-*
'*meret* illos, qui *corpus* solum occidere possent, *animam* non possent: Alii
'illud subjiciebant; cogitaret, *cum steteritis coram Regibus*, *ac Principibus*,

'*nè*

'*nè eſtote ſoliciti, quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis illo mo-*
'*mento, quod loquamini.*

3. Adeò videtur *Principum cauſa*, juxta ac *Lutheri*, tum agi; quomodo verò ſe *Wormatiæ Lutherus* geſſit, ex ſequentibus videre eſt. 'Cum enim
'[d] ad dictam horam adeſſet, ab *Eccio* interrogatus, Ecquid tandem animi ei [d pag. 119.]
'eſſet; Ipſe ad *Cæſarem & Principes* conversâ oratione, & audientiâ bene-
'volâ ſuppliciter petitâ, argumenta librorum ſuorum diſtinxit; ex iis, in-
'quit, quos ſcripſi libris, quidam ad Fidei & pietatis doctrinam pertinent,
'quibus etiam adverſarii præclarum dant Teſtimonium; Hos ſi abjurarem,
'officium boni viri neglexiſſe jure queam accuſari. Sunt alii, quibus Pon-
'tificatum *Romanum* & Pontificiorum doctrinam refello, qui maximis incom-
'modis *Rempub. Chriſtianam* afflixerunt, & etiamnum affligunt; Hos ſi abo-
'leam, Tyrannidem illorum confirmaro. Tertium genus eſt eorum, qui
'ſcripti ſunt in quoſdam privatim: qui *Romanam* nequitiam defendere vo-
'lunt, mihique calumniosè multa impingunt. In his equidem fateor, me
'alicubi fuiſſe vehementiorem; ſed nec me ἀναμάρτητον eſſe agnoſco: & hos
'ipſos etiam retrectare mihi integrum non erit, niſi velim feneſtram inſo-
'lentiæ multorum aperire: ſed tamen quia homo ſum, errare poſſum: &
'cupio Scripturæ Teſtimoniis melius erudiri à quovis. Hæc & plura eo
'loco locuto, *Eccius* torviori vultu: Non reſpondes, Inquit, ad rem, ne-
'que tuum eſt conciliorum autoritatem in dubium vocare: Planum, & ſim-
'plex abs te reſponſum requiritur: an velis tua ſcripta eſſe rata? Tum *Lu-*
'*therus*: quando ergo *Cæſar* & Principes, jubetis, planè ut reſpondeam,
'obtemperabo. Hæc eſt mea ſententia: niſi Scripturæ Teſtimoniis, vel evi-
'denti ratione convictus fuero, non poſſum quicquam eorum, quæ vel
'ſcripſi vel docui, revocare; nam ut conſcientiam meam vulnerem, non
'committam: Pontifici autem *Romano*, & ſolis Conciliis non credo: quæ
'& errarunt ſæpius, & contraria ſibi ipſis tradiderunt; capta eſt conſcientia
'in verbis Dei; revocare neque poſſum, neque volo quicquam, cum contra
'Conſcientiam agere, neque tutum ſit, neque integrum: *hie ſtehe ich tan*
'*nicht anders*: *Goit helff mir*, hoc eſt, *hic ſto, aliter non poſſum*; *Deus me*
'*juvet. Amen.* Ac cum denuo urgeretur, ipſe tamen in reſponſo perſtitit,
'& ita tunc eſt diſceſſum.

4. Adeò jam *publicam hanc eſſe cauſam Reip. ac Eccleſiæ* patet, quomodo autem illa ſine *Obſervatione* tranſigi poterat, non ſatis conjicio.

5. Et profectò, quæ eſt illa *Argumenti tui* vis ex *Lucæ* c. 17. v. 20, 21. deſumpti? *dicit Chriſtus Phariſæis*, οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τ Θεῦ [d] μετὰ παρατηρήσεως, [d pag. 124.]
οὐδ' ἐροῦσιν, ἰδὲ ὧδε, ἢ ἰδὲ ἐκεῖ. ἰδὲ γὰρ ἡ βασιλεία τ Θεῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστι, *non venit Regnum Dei cum Obſervatione, neque dicent, Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Chriſti intra vos eſt?*

6. Quid ergo? an nullum in mundo *Viſibile* Regnum habiturus eſt Deus? id, puto, vix dixeris; ſin verò dixeris, non video, quomodo quod *Viſibile* eſt, ſine *Obſervatione* venire poteſt. Loquitur quidem *Chriſtus* de *interiori* ſuo Regno, in hominum corda introducendo, id autem ex ratione *Vocis iſtius*, non venire cum *Obſervatione*, quis negaverit? at non itaque ſtatim ad *externum illius Regnum*, quale eſt *Eccleſia Viſibilis*, ſic *venire* pertinebit.

7. Et quæſo ad *Viſibilem*, an *Inviſibilem* Eccleſiam primo aſpectu *ſpecta-*

bit Reformatio? ad *Visibilem* certè spectare primùm illa debet, sic tamen ut quantum ad *Effectum Gratiæ* per externam *Oeconomiam* promovendæ, in *invisibili* terminetur.

8. Nec verò, nisi *Curiæ Romanæ*, *Ecclesiæque Gravamina* venissent μὴ φαινόμενα, *cum Observatione* [heu *prob nimiâ* !] nisi *palam*, *& omnibus fere* obvii fuissent utriusque *abusus*, & *corruptelæ*, (quod [e] *Papa ipse*, ut supra notatum est, apertissimè declaravit,) non sic his opposuissent sese *Sæculares* pariter, ac *Ecclesiastici*; sibique ideò acceptum referat *Alterutra*, si non nisi cum *Observatione*, *reprehendi*, *corrigi*, *reformarique* poterat. [e] pag. 67.

9. Sed quoniam horum *Christi* verborum Pharisæis, *Religionem* omnem *in externis* ut plurimum ponentibus, *peculiari de causâ* prolatorum, tanquam justam interpretationem, *Exemplum* quoque *Christi* per *se* & *Apostolos* Regnum suum Novi Testam. sic inchoantis, adjungis: An ergo sine *Observatione* Christus tot *sua edidit miracula*? Sine *Observatione Crucifixus*, *Mortuus*, & *Sepultus* est? Sine *Observatione Resurrexit*, *Ascendit*, aut Spiritum Sanctum *die Pentecostes* demisit? An sine *Observatione*, *Resurrectionis illius Testes* constituti Apostoli *universum quasi Orbem* ad Evangelium prædicandum peragrarunt? An *Omnia* ista, ut de *conversione* suâ tam solenni loquitur *Paulus*, *Actor.* c. 26. v. 26. ἐν γωνίᾳ *in Angulo facta sunt*?

10. An etiam *quas* prædixerat, & *quibus* justo suo judicio *Hierosolymas*, *Templum*, *Civitatem*, adeóque *totam Judæam* afflixit, *Calamitates* sine *Observatione* contigerunt?

11. An ad Martyria tot Christianorum millia *incognitò* deducta sunt? Aut tot *persecutoribus tum Romanis* clades, cædesque *incognitò* obvenerunt, quum, quod Túte memoras, ‘ tempore *Constantini M. Regnum Christi se mani-* ‘*festaverat* in oculis hominum etiam cum externâ Pompâ, & Splendore, at- ‘que terrore adversus hostes Ecclesiæ?

12. Quanquam hic, nescio quam, perbellam certè Apologiam scitè affers, ‘ nimirum non tunc *novum fuisse introitum Regni* Christi in mundum, cum ‘ jam antea etiam Christus à tempore Apostolorum ad tempora usque *Con-* ‘*stantini*, sine ullâ interruptione, latissimè regnaverit in cordibus Christia- ‘norum; sed fuisse tantùm ejusdem Regni progressum in externo quoque ‘ Splendore jam conspicuum’; Mirum verò commentum! & illo dignum! Cujus interest non esse in *Visibili* aliquâ Ecclesiâ.

13. Enimverò quàm optandum esset, Tibi, amicisque tuis, (si quos jam habeas,) ut gesta tua semper incognitò haberentur?

14. Sed quò rem tandem acu tangas, & ut soles, ad *homines* loquaris, his subjungis nimirum: ’ Hîc verò (ad *Constantini* Victorias id referens,) *Pro-* ‘*testantes* juxta suas Hypotheses, Regno *Bestiæ* in Ecclesiâ successisse ‘ Regnum Christi, contendunt.

15. Quis *Protestantium* Te ista docuit, non ita *solicitus* sum; nec puto eam esse *Protestantium sententiam* facile ostendes; immò falsissimum est, quod innuis; *Romano* quidem *expirante imperio*, suboriri statim debuisse *Regnum Bestiæ* sive *Antichristum* ex *Apocalyps.* c. 13. v. 10, 11. &c. & *Thess. alon.* Ep. 2. c. 2. v. 3. &c. necnon *Daniel.* c. 11. v. 36. &c. supra cap. III. & IV. ostensum est; Nec sic sine *Observatione* venit quoque *istud Regnum*, quin *eidem* singulis seculis *Testes veritatis* publicè reclamarent. Ut

natus

natus sit, ut *adolevit*, ut ad *maturam ætatem* pervenit *Antichristus*, quibusque gradibus ad interitum properat, cap. v. & vi. & ne *nomen* quoque & *Character* ejus in posterum incognitò audiantur, cap. iii. &c. ultra demonstratum est: Nec vereor, *cornibus* licet *suis omnibus* Veritatem impetat *Bestia*, labefactari posse, quod tam *certis* τεκμήριοις confirmavit sacra pagina.

16. Posse me *male numerare*, posse *numerandi rationem* non ubique rite intelligere, posse etiam *numeros male distinguere*, *Epochas & Periodos* non ita exactè *ad calculos* revocare, lubens fateor; at posse tamen *errare Spiritum* S. (cujus hæc effata sunt,) quis ausit suspicari?

17. Sed pergis ergo probare, quòd magno *cum strepitu*, atque *tumultu*, necnon cum *comitatu potentis brachii secularis*, Regnum per Reformationem seculi præteriti introductum est.

18. Et quum cum *comitatu potentis brachii secularis* Regnum per Reformationem introductum esse dixeris, quicquid præjudicii per *strepitum* atque *tumultum* insinuari velis, pro facto *evanescere* videtur:

19. Quodnam enim erat illud *Brachium seculare*, nisi *legitima* principum *potentia*? *quam* quidem hîc supponere *Reformationi* sese immiscentem, non aliud est, quàm 'quod [f] *piis omnibus Principibus* in sacris Scripturis à Deo 'ipso semper fuerat attributum; quò scilicet *omnes Status* atque *Ordines* 'fidei suæ à Deo commissos, sive illi *Ecclesiastici* sint, sive *Civiles*, in officio 'contineant, & *contumaces* ac *delinquentes* gladio civili coerceant: Quæ 'sunt ipsa verba Articuli 37. Ecclesiæ nostræ *Anglicanæ*'. Quem proinde Articulum divinæ Veritati conformem nos quidem hîc animitus amplectimur, nec possumus non, quicquid *Autoritate eâdem* muniti fecerint tum *Imperii Principes*, tanquam *justum*, *æquumque* defendere.

[f] *Articul. Eccles. Angl.* 37.

20. Quòd si strepitus aliqui, ac tumultus usquam contigerunt, *istos contumaci*, ac *delinquenti populo* ascribendos putamus.

21. Quòd autem p. 128. dicis: 'Ex ejus [*Lutheri sc.*] narratione, ac 'rei gestæ Veritate facile colligere possumus, quod nisi *Fredericus Dux*, & 'Elector *Saxoniæ*, *Luthero* adfuisset, nequaquam stare contra Pontificem, 'Ecclesiæque Christianæ magnam partem ab *Ecclesiâ Romanâ* separare va-'luisset: & paulò inferiùs ex Præfat. Tom. I. præfix. adjungis, *viz.* Anno 'sequenti 19. decessit in Februar. *Maximilianus*, & factus est, jure Imperii 'Vicarius, Dux *Fredericus*: tum desiit paululum sævire tempestas, & sensim 'obrepsit contemptus Excommunicationis, seu fulminis Papistici. Nam cum 'Eccius & *Caracciolus* ex Urbe attulissent Bullam damnatricem *Lutheri*, eam-'que insinuassent, ille hîc, iste illic Duci *Frederico*, qui *Coloniæ* tum erat, '*Carolum* recens (die 28. Jun.) electum, cum aliis principibus susceperus, 'indignissimè tulit, & magnâ fortitudine, & constantia objurgabat Pontificem 'illum *Nebulonem*, [*Caracciolum* innuens,] quod se absente perturbassent ipse & 'Eccius ditiones fratris *Johannis*, & *suam*, & exagitabat eos magnificè, ut cum 'rubore, & dedecore ab eo discederent. Intellexit Princeps ingenio incredibili 'præditus, artes *Romanæ* curiæ, & eos dignè tractare novit. Erat enim emunctissimæ naris, & longiùs olfaciebat, quam *Romanenses* aut sperare, aut 'timere poterant, &c. cui quæso ex his, & cæteris huc facientibus apud 'Lutherum, collatis, non sit clarum, *Lutherum* nequaquam tam ardua quæ 'fecit contra Rom. Ecclesiam, pertentare ausum fuisse, nisi sensisset se firmiter.

'miter innixum esse potenti brachio sæculari, necnon etiam tumultuantium 'Magistrorum numero, una secum, Papæ *Romano*, & Doctoribus eum audi- 'entibus, jam aut apertè, aut tacitè infensissimo.

22. Hæc quòd sic adjungis, atque ultrà proxima ista subjicis, p. 129, 130. *viz.* 'Non hoc ago in his, quasi innuam, brachio seculari nullo modo lici- 'tum esse uti, ad promovendam Ecclesiæ causam, contra ejus turbatores; sed 'hoc indigito, quòd dum è captivitate aliquâ spirituali, falsæ alicujus, & à 'Deo rejectæ Ecclesiæ, liberatur Populus Dei per fideles Doctores, & nova 'quodam modo forma, & status Ecclesiæ inchoatur, (sicut hæc omnia ità 'supponenda essent, in *Reformatione* sæculi præteriti, si ea singulariter à 'Spiritu S. extitissèt,) tunc sanè initia hujus operis, sine assistentiâ brachii 'sæcularis ad ipsum Christi Regnum pertinentis, solent à Deo promoveri. 'Non quod simpliciter cum Naturâ Regni Christi pugnaret, aliquos statim è 'medio credentium seculari potestate armare ad defendendam Ecclesiam; sed 'quia sic est sapientissima Dei circa initia renovandæ Ecclesiæ dispositio no- 'bis revelata, in hunc finem videlicet, ut eo magis appareat, unicè Divinam 'esse originem talis Ecclesiæ. Atque hoc è verbis Salvatoris supra allatis, 'satis perspicuum nobis esse potest. Brachium autem seculare, alienum ab 'Ecclesiâ, imo contrarium in se cætui credentium, adhiberi quandoque à 'Deo, etiam ad initia Ecclesiæ de novo restaurandæ promovenda, (ut *v. gr.* '*Act.* 23. v. 19. 30. & c. 25. v. 14, 15, 16, 25, 27. Item *Esdr.* c. 1. v. 1, 2. '& sequ.) nullo modo pugnat cum verbis Salvatoris suprà positis, & cum 'nostrâ sententiâ indè erutâ.

23. Quòd, inquam, hæc hîc subjicis; quid poterat hîc ad *Reformationis* defensionem accommodatius afferri? Aut (licet fortassis Tecum non ubique sentiam,) quid his amplius est, quo *causa*, quam tam temerè incusas, stabiliri queat?

24. Rem ab initio repetamus: Ex *Officii ratione* ut supra ostensum est, prædicat *Lutherus*, *eas doctrinas prædicat*, & defendit, *quas* etiam cum ipso defendunt *Principes Imperii*; *Dux Fredericus* factus *jure Imperii* Vicarius, *ipsi*, *doctrinæque* ejus patrocinatur, *Bullamque damnatricem Lutheri de facto* ipse damnat; *Eccium* & *Caracciolum illam* afferentes, magnâ fortitudine, & constantiâ objurgans, & tanquam *perturbatores* Ditionum *Johannis* Fratris, & *suæ*, magnificè exagitat, ut cum *rubore*, & *dedecore* ab eo discederent.

25. Judicet jam mundus, jam diu judicavit Deus; Quibus *strepitus isti*, *Tumultusque*, in *quos* tantopere inveheris, imputandi sunt? Ab his ad alia quædam, (quid enim non corradis, quò malevolentiæ, atque obtrectandi libidini facias,) non ita propriè his annexa; sed quæ utcunque Tibi *Strepitum*, *tumultumque* in novâ hac tuâ causâ cienti inserviant, jam proximè transis, p. 131. atque hîc quod primùm affers, id est scilicet.

26. 'Quòd sint inter *Protestantes*, qui omnia, quæ de *Bestiâ* sonant, unicè 'in præsentem *Romanam Ecclesiam*, ejusque *Pontificem* applicant, ob idque 'eo magis furere, & Cœlum quasi Terræ miscere præsumpserint; atque hoc, 'inquis, videre est, imprimis in tribus illis hujus seculi Prophetis miserè à 'Satanâ, Deo permittente, afflictis, & dementatis, *Kottero*, *Poniatoviâ*, & *Dra- 'bitio*, necnon horum fautoribus *Comenio*, aliisque plurimis. p. 132.

27. Inde

27. Inde deſcendis ad particularia quædam, quibus, *pro ſummâ tuâ humanitate*, atque gratitudine erga *nos Anglos*, & præcipue *Oxonienſes*, (inter quos tamen poteras meminiſſe, Te ſatis benevolè exceptum, niſi forte Tibi cum *Religione noſtrâ*, putaveras neceſſum etiam *Virtutibus omnibus Proteſtantium* ſimul valedixiſſe,) oſtendas, quantus ſis in calumniis ſive comminiſcendis, ſive aſſerendis Artifex: Sunt autem *iſta*, quæ (1.) de ſolennitate quadam Menſe Novembri [quinto ejus die,] uti ſuggeris, haberi ſolitâ, (2.) de *Caroli* I. cæde, & (3.) de deteſtandâ ſcommatibus, & convitiis debacchandi licentiâ. p. 139. 'Quæ omnia mala fluere ais, ex furore ab initio 'decantatæ *Reformationis* concepto contrà *Pontificios*, & ex falſis Principiis 'maximæ partis *Proteſtantium*, interpretandi *Apocalypſin*, & *Danielis* loca 'magnos Eccleſiæ hoſtes deſcribentia, de *Eccleſiâ Romanâ* præſenti & *ejus* 'Pontifice. De quibus ſuo ordine perpauca.

28. Et primùm quid hîc ſentiant *Kotterus*, *Poniatovia*, aut *Drabitius*, aut quid *Tu* de *illis* ſentias, non ſic *meâ intereſſe* puto, ut ferram iſtam reciprocem; *intereſſe* tamen *Veritatis* puto, ut, *eandem Eccleſiam Romanam eſſe illam Beſtiam*, demonſtretur; Et quidem, ſpero id jam ſupra ſatis demonſtratum, Cap. IV. par. 6. &c. nec magis efficaci Argumento probari poteſt ulterius, eſſe hanc Θηείον κόκκινον, *Apocalypſ.* 17. 3. *Beſtiam coccineam*, cui *inſidebat mulier*, μεθύουσα ἐκ τ̃ αἵματος τ̃ ἁγίων καὶ ἐκ τ̃ αἵματος τ̃ Μαρτύρων Ιησ̃ũ, v. 6. *ebria de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu*, quàm quòd *Regis*, *Reginæ*, *Principis*, *Ordinumque* Regni in Parlamento, quinto Novembris congregandorum, ſanguinem unà omnium, cæteris ejuſdem Conjurationis alibi ad cædem ubique paſſim *Regni* patrandam paratis propinâſſe deſtinârat, *Regis* verò ipſius *Caroli* I. *ſanguinem* aviditſimè hauſit.

29. Aviditſimè, inquam, hauſit; nec enim niſi *Romanis Conſiliis flagitium illud* primùm *deſignari*, *promoveri*, poſt demum ac *perfici* plurimi credunt; *lætum* certè *nuncium iſtius* maximo cum triumpho *Romam* perferri pro comperto eſt, & ſunt qui in *conclavi ipſo* exultanter excipi, non verentur aſſerere: *Proteſtantibus* verò, ut imputetur, iniquiſſimum eſt, quum in *Regis illius cauſâ* tot ipſorum *arma ceperunt*, tot *fortunis* omnibus, *vitâ*que ipsâ ſpoliati ſunt.

30. Nec Túte ipſe tam hîc *ſeverus*, quin *Epiſcopales* videaris *noxâ hâc* eximere, &, quæſo, *Religionem* quoque illorum *univerſam* noli *damnare*, ſi *quos* hîc peccâſſe conſtat, non niſi *Romanenſium* dolis atque *aſtu circumventi* peccârunt; præſertim noli *Proteſtantes*, quâ *Proteſtantes crimine iſto condemnare*, quod ipſum, fatente Te, *Proteſtantium major*, *meliorque pars* deteſtatur, atque condemnat.

31. Sed quò tamen *Anglicano nomini odium*, *atque invidiam* certiùs concites, quod de *ſolennitate illâ Novembris quinto*; quò verò præcipuè *Oxonienſibus* nobis eadem confles, quod de *deteſtandâ* in *ſcommatibus*, & *convitiis*, *debacchandi licentiâ*, enarrare Tibi viſum eſt, *tuis elegantiſſimis verbis* liceat, utrumque adornatum audiamus. Sic ergo de primo in *verba iſta*, quaſi attonitus prorumpis, p. 137.

32. 'Quàm multùm O bone Deus! hoc in paſſu in Angliâ à *Proteſtan-* 'tibus peccatur? Annon enim *Londini*, *Plebs*, ac imprimis *Innumera* Juve- 'num *multitudo*, inde ab *An. D.* 1605. ſingulis annis, (dum ipſi præſident)

'Menſe

'Menſe Novembri, *Papam Romanum* in ſede locatum, cum *triplici coronâ* '& cum *adjuncto Cacodæmone*, in *formâ Monſtri*, quam maximè *horrendi*, 'ſibi effigiant, atque in commune *Ludibrium Eccleſiæ Romanæ & Ponti-* 'ficis, paſſim per Urbem cum *ardentibus* in manû cujuſque talium juvenum 'Nebulonum *facibus*, horis veſpertinis circumportant, & in deſtinato quo- 'dam loco, (ad Portam in extremo Plateæ Fleet Street dictæ aliquando 'memini) poſtquam eum *ſtolidis cum ſaltationibus*, circum Ignem *ad ejus* 'combuſtionem paratum, *Populo* ad tempus oſtentaverint, mox in eundem 'Ignem *ardentiſſimum* conjiciunt, atque ubi *pulvis Naphthæ*, ad formam 'granati in viſceribus ejus recluſus, eruperit, (exploſis tunc etiam è circum- 'jacentium domorum podiis, cum ſonitu undique murmurante granatis) 'riſum & cachinnum, eum inter ſeſe excitant, qui nec ipſos *Ethnicos* 'deceret?

33. Tum paulò pòſt p. ſc. 139. 'Scio bene, quod Menſe Auguſti, Anni '1691. (die 23. ejuſdem) dum extra Urbem *Oxonienſem*, cum quodam ho- 'neſto ſtudioſo *Germano*, ſpatiarer in loco, ubi varii horti, cum domun- 'culis multis circum circa, ad recreationem, ac delicias adſunt, in parietibus 'domuncularum, ſubinde adſcriptum legimus linguâ Anglicanâ: *Juſpenda-* 'tur Papa cum Rege Franciæ. Hæc autem publicè à quolibet legebantur, '& quidem juxta Urbem, *celeberrimâ* Inſignem *Univerſitate*, ità ut *Docto-* 'res, atque *ſocii Collegiorum* quotidiè talia ſcommata illic videre potuerint, 'nemo tamen eſt (tunc ſaltem) repertus, qui ea inde deleri & aboleri pro- 'curâſſet; hæc ſcilicet decent veros Chriſtianos, ut talia vel ipſi faciant, vel 'facientibus conniveant?

34. De *priori* dicis, Excuſatio facti hujus nulla hîc locum habet p. 138. Poſteriori ſubjungis, p. 139, 140. 'Omnia hæc mala fluunt ex furore ab 'initio decantatæ *Reformationis* concepto contra *Pontificios*, & ex falſis prin- 'cipiis maximæ partis *Proteſtantium*, interpretandi *Apocalypſin* & *Danielis* 'loca magnos Eccleſiæ hoſtes nobis deſcribentia, de *Romanâ Eccleſiâ præ-* 'ſenti, & *ejus Pontifice*.

35. An verò quoad prius, nulla facti hujus excuſatio hîc locum habet? immò verò *Excuſationem* certè *aliqualem* Accuſationi ipſi Tutemet inſe- ruiſti. 'Plebem nempe *dicis*, & innumeram juvenum (quos & *Nebulones* 'vocas,) multitudinem iſta facere; quo, ſpero, calumniâ hac *Gentem noſtram* 'quadantenus liberâſti, niſi pro liberali tuo genio, velis putemus, univer- 'ſam *titulo illo* quàm humaniter à Te *inſignitam*:

36. Et *dico* Ego pariter *Plebem* ſolam eſſe, *rudem* & *inconditam*, dico & Ego, *juvenum multitudinem*, non *dico* tamen, ut Tu, *Nebulonum*: iſtud nemo dixerit, qui non ipſe diſtinctius noverat *tales* eſſe; nec ſi id noſſet, niſi *parcè*; ne fortè *in tam indiſtinctâ multitudine* plurimis injurius ſit; præ- ſertim ne forte *Jeſuitæ* alicui, *Sacerdoti* aut *Fratri Pontificio*, idem imprudenter impingat; poſſunt enim *iſti* omnia; & rariſſimè tumultibus quibuſcunque abſunt; norunt enim quæ ſint commoda multitudinem inſtigandi tempora; no- runt bene ignem tectis, (liceat & dicere,) populóque ſubjicere; inque *iſtâ Civi- tate* (teſtis ſit inſtar omnium *Columna* illa, ſive *Monumentum* prope *Pontem Londinenſem*, in memoriam *execrabilis iſtius incendii*, quum *Univerſa illa Urbs* An. 1666. in cineres erat redacta) non id ſemel tantùm ab ipſis gloriosè fa- ctum eſt.

37. Sed

37. Sed esto igitur; *plebs rudis*, & *incondita*, *innumera* juvenum non optimorum *multitudo*, & quasi *populi fæx* fecerit id, quod *boni omnes* devitant, damnantque: Esto, quòd *tumultuaria turba* fecerit id, quod *leges* nostræ satis damnant; Esto, (liberalis enim Tibi esse volo,) quòd huic *ipsi turbæ*, *ingenui* etiam aliquando, *probique*, nescio quo animi *ardore*, ne dicam *zelo* abrepti, temerè sese immiscean; at causis tamen rerum expensis, *barbarie* scilicet *illa immani*, *zeloque* planè *infernali*, quo *tantæ cædes*, tam *inauditæ strages*, ac *ruinæ*, *tantæ calamitates Ecclesiæ* simul, ac *Regno* Universo, die illo solenni olim intentabantur; Si qua potest esse *Humanæ levitatis*, ac *stultitiæ justa excusatio*, *culpam* certe non nihil imminuent *ista*; nec tam severè in *omnes* animadvertendum; *Genti Universæ*, atque *Religioni* tam vehementer imputandum, si *commune Gentis Universæ*, *servatæque Ecclesiæ gaudium*, aliquantum *intemperantiùs* etiam gaudeat *plebs*; si tum præcipuè, quum *eidem cædi*, *stragibusque* proxima, novam evasisse sibi videbatur *lanienam*, in excessus aliquos erumpat.

38. Quanquam nec *ista* excusandi mihi animus est; nolim Ego quacunque de causâ *Religioni* scandalum vel minimum obvenire; nec video quidem, cur hac in re *nostræ* obveniat; quum nihil magis cautum est, sive *Ecclesiæ* ipsius, sive *Regni* Legibus, quàm ne *qua* hujusmodi *Offensio* exoriatur.

39. Nec, quicquid innueris Tu, tanquam ab Anno 1605. *inveterâsset iste mos*, Velim, Tibi credas; quum notissimum sit, non nisi quasi ex improviso, & rariùs, istiusmodi quid solere contingere, & ne contingat unquam iterum, ne quicquam *tale* in posterum erumpat, vehemens illud ac grave senatus-consultum nuper prodiit, *quod* non ita facile eludetur:

40. Adeò ad *Religionem Protestantium* referri non potest, nec debet, à quo tantopere semper *illa* abhorruit, tamque certò, ut res tulit, pridem ulciscebatur, & ulciscetur semper.

41. Veniam jam ad *alterum illud*, quod *Oxonienſibus* nobis tam *acerbè* quidem, sed *injustè* affingis, *scandalum*; De quo profectò tam *levi*, tam *ridiculo*, tam *nullo*, *puderet serium* quid, *solidumque* regissise; si non idem *Sapientissimus Solomon*, qui dicit *Proverb.* 26. v. 4. *Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam*, *ne forte adæqueris ei etiam Tu*: dixisset quoque v. 5. *Responde stulto secundum stultitiam ejus*, *ne forte sit sapiens in oculis suis*.

42. Re totâ superius enarratâ, par. 33. non me sic oblectari *conviciis* profiteor, ut *eadem* repetam; id tantùm rogo Te, si *mutatis mutandis* verba eadem legisses *Gyöngyösini*, aut *Heidelbergæ*, aut ubicunque alibi *Hungaricum*, aut *Germanicum Vinum*, disertos vos, *conscribellandisque parietibus* (ut solet aliquando *usu* venire,) aptissimos reddit; velis Tu statim *universam gentem ebrietatis*, & *dementiæ* insimulari? quasque temulentus quis aut ineptulus tum depingit, *vanissimas picturas*, non nisi pro *Religionis ipsius* quibusdam *Hieroglyphicis*, atque *verissimis emblematibus* haberi?

43. Quanquam non memini me unquam fando accepisse, *temulentiam* in istis hortis reperiri; sed est *puerilis stultitia*, sunt *ineptientium gestus*, *moresque* omnes, quasi animi *ebrietas*, quibus quòd illic scriptum legebas imputare debueras; & non, quasi Túte ipse *vix sobrius* esses, quod illic Tibi

displicuit, *Genti*, *Religioni*, adeóque *Academiæ*, tam fidenter tribuisse.

44. Sed quoniam præcipuè hîc *Doctores* & *Socios* Collegiorum sugillas, quasi eorum *interesset delevisse*, quæ memoras, *scommata*; nescio an *sciens*, *videnſque nescire velis*, quæ vix *nescire poteras* in *Academiâ istâ* tam diu versatus: Aliter non poteras *Tu* ignorâsse *talibus istis locis*, (ubi Tibi cum honesto tuo *Germano* spatiari licuit, inque quibus describendis tam videris Tibi disertus, & elegans,) non solere adesse *Doctores*.

45. *Loca* quidem, quæ Tu descripsisse velis, ut plurimum *Plebs Academica*, *juniores* nimirum, & *quos non-graduatos* appellamus, frequentant; *majorem* verò sibi, *majorem* pueris reverentiam debent *Doctores*, quàm ut illic *his* sese immisceant:

46. Sunt verò quibus juniorum cura committitur, *Vice-Cancellarius* & *bini Procuratores*; si quid illic, quod non deceat *ingenuos*, fieri contingat, *Horum* est *errantes* revocare; debueras Tu, si quid enorme videras, ad *horum aliquem* detulisse, nec dubitasse, quin efficax adhiberetur remedium: Quum fortè nusquam *universi Orbis*, tam *promptum*, *& liberale* obsequium *summæ cuivis potestati*, sic præstatur, ac *his*; Adeò si quilibet *horum delinquentem quemvis* deprehendat, *verbis* duntaxat *istis* pro *Autoritate* pronunciatis, *abi ad Castellum* (est id carceris nomen,) *per fidem*, sine *vi aliquâ*, aut *custode*, (nota loquor,) abit statim *Delinquens* is, seque *carceri* tradit, non *inde* rediturus, donec *eâdem Autoritate* revocetur, libereturque.

47. Et jam puta Tecum, *Otrokocsi*, quàm parum *ingenuum* erat, illam calumniari *Academiam*, cujus *Disciplina* sic munitur, *illam*, (quoniam *ei* potissimum litem intendis,) calumniari *Ecclesiam*, quæ cùm *Academiam*, tum *Disciplinam* hanc sic conservat.

48. Non est animus mihi hic par *pari referre*, nec quidem possem, si velim; adeò *excedunt* nostra omnia, *jocularia* tantùm, & puerorum *Lusus*, & *ineptias*, quæ apud *Pontificios nimis*, proh *nimis seriò* patrantur! 'Illegitimas Tu invectivas, convitia & Acta scommatica *Protestantibus* objicis; utinam isthic se continuissent *Pontificii*, aut etiamnum continerent': Non tum *Vesperas Siculas*, *Bartholomæi ferias* audivissemus unquam, non tum *Quinto Novembris*, publico Ludibrio *quis* exponeretur: Nec, (ut quid unquam in *Sabaudicis* regionibus, quid *nuper*, aut *olim* in *Gallicis* contigerit, silentio prætermittam,) *Mariana nos Angli tempora* tanto cum horrore recoleremus animo, aut *Vos Hungari præsentia* deploranda haberetis.

49. Ut taceam post tot annos, ad *Ludibrium humani generis*, *Religionisque omnis* in INQUISITIONE à nonnullis actos, *misericordes* etiam tandem advenisse mortis *cruciatus*; non *jocularia Pontificii* nobis intentant *mala*, non *nomina* Protestantium *illi* ignominiosè scribunt, sed *suspendunt ipsos*, non Effigiem, sed *Homines flammis* dant; כמתלהלה הירה זקים חצים ומות *sicut insaniens projicit scintallas*, *& sagittas*, *& mortem*, Proverb. c. 26. v. 18. ואמר הלא משחק אני *& dicit*, *annon ridens* [& ludens] Ego?

50. Adeò *risui* tantùm, *lusuique* est, quicquid ab *ipsis* patiuntur *Protestantes*; nec putant adfore tempus, quum ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῦσιν, ἀντιμετρηθήσεται αὐτοῖς, Matth. c. 7. v. 2. *in quâ mensurâ metiuntur*, *iterum mensurabitur ipsis*.

51. At at aderit, vereor, aliquando illud tempus, quum non *ludicro igne* vastabitur *Babylon*, ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξουσιν αἱ πληγαὶ αὐτῆς, θάνατος καὶ πένθος καὶ λιμὸς, καὶ ἐν

πυρὶ

πνεὶ καλακαυθήσεται, ὅτι ἰσχυρὸς κύριος ὁ Θεὸς ὁ κρίνας αὐτόν. Apocal. c. 18. v. 8. *in uno die venient plagæ ejus, Mors, & Luctus, & fames, & in igne comburetur, quia fortis est Dominus Deus judicans illam.*

52. Atque *is certe dies*, ad *Quos* tandem pertineat sive *Babylonis*, sive *Bestiæ* nomen, quòd ipsum *Pontificiis* omnino indatur, an id fluat *ex furore ab initio decantatæ Reformationis concepto contra ipsos*, (quod est insigne tuum *totius hujus Capitis* Epiphonema,) an ex *Pontificiorum* potius *furore, qui* tamdiu se *divinæ vindictæ* exposuerunt, is inquam, *dies* certissimè indicabit. Pag. 139.

53. Interim quod adjicis, 'Deo non posse Te *sufficientes* agere gratias, 'qui à perversis ejusmodi præjudiciis, falsisque Principiis interpretandi Pro-'phetias Te liberavit, &c. p. 110. Quis sobrius non *Tecum gratias istas* repetit? utpote cui satis superque pateat, qualis Tu *Apocalypseos, Prophetiarumque sacrâ paginâ* traditarum, *interpres* futurus esses, qui *quam* jam *aliunde* habuisse Te, *Apocalypsi, quibus* jam inspirari Te plane simulâsti, *Prophetiis*, (nec enim his minus quid erat illa *tua, quam* tibi ubique ad *omnia paratam* adesse præ Te sic fidenter tulisti, INTERNA VOX,) ad *tot absurda, falsa, incerta, frivola, impia, blasphema*, (uti [k] supra ostensum est,) à *Te* per *eandem*, quoties lubuerit, *astruenda*, tam *impudenter*, & *sacrilegè* sis abusus. k *Cap.* I. & II.

CAP. XIV.

'*Quintum tuum Argumentum petitur ex hoc, quod* Lutherus, *& socii ejus, nomine Dei* '*(ut prætenderunt) locuti, non in omnibus docuerunt verum; Hoc autem probatur,* '*inquis, inductione aliquot Articulorum, v. gr. De* statu animarum post *mortem*; '*De* Venerabili Sacramento Eucharistiæ; *De* Regimine Episcopali; *De* Primatu; '*De* Antichristo; *De* Justificatione, &c.

'1. DE statu Animarum post mortem, docent, inquis, ac credunt *Protestantes* tanquam dogma Fidei, eum esse tantum geminum, sine ullo 'intermedio, nempe vel æternam beatitudinem in Cœlis, vel æternos cru-'ciatus in inferno:

2. Et cur non ita docerent, quum *mortem* tantùm & *vitam* docet [a] *Moses*, & [b] Prophetæ, mortem tantùm & vitam [c] *Servator*, & [d] *Apostoli*? a *Deuter.* 30. *v.* 15. b *Ezek.* 33. *v.* 11, 14, 15, 18, 19. c *Matt.* 23. *v.* 46. *Joan.* 3. 24. d *Joan.* 1. c. 3. *v.* 14.

3. Et quidem si, dicente *Solomone* אין מעשה וחשבון ודעת וחכמה בשאול אשר אתה הלך שמה: *non sit opus, nec cogitatio, nec scientia, nec sapientia in sepulchro, quò Tu vadis*: Eccles. c. 9. v. 10. Si, ut de Homine *Allegoricè* dicitur, *Eccl.* c. 11. v. 3. אם יפול עץ בדרום ואם בצפון מקום שיפול העץ שם יהוא: *si ceciderit arbor in Austrum vel in Aquilonem, loco quo ceciderit Arbor, ibi erit.* Atque iterum ad *Hebræos* c. 9. v. 17. καθ' ὅσον ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν, μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις, *quemadmodum statutum est omnibus semel mori, post autem hoc judicium*: Si, prout habetur, *Joan.* c. 9. v. 4. ἔρχεται νὺξ ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι, *veniat nox, quando nemo potest operari*: Si nec *post mortem* Christus ipse (de se enim illic *ipse* loquitur, ἐμὲ

ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με ἕως ἡμέρα ἐστίν, *oportet me operari opera mittentis me, donec dies est*,) quicquam *perficere* poterat, per quod *Redemtio hominum* ultra promoveretur, nec quicquam *tum* præstare poterunt *homines*, quo suam promoveant *salutem*: Si quicquam hujusmodi *moliri*, vel *expectare*, *æterno Dei consilio* sive *decreto* contrarium sit; si *justitiæ* ejus, ac *bonitati* adversum; si quicquid hic *Eleemosynis*, *ac precibus* viventium tribui solet, quasi istis *laborantes animæ* adjuvari possent, ineptum, frivolum, inane atque impium sit; si *nullus alius* sit *Thesaurus* Ecclesiæ, nisi *pretiosus Christi sanguis*, nec de *modo*, aut *tempore*, *quando*, quod per *Indulgentias* dari *æruscatores Pontificii* gloriantur, effectum sortietur, quoquam modo constet; nec *commenta* istiusmodi omnia nisi *Ethnicorum Scholis* debeantur; quàm *Deo* pariter, atque *hominibus* inimici, quàm *Profani*, *Blasphemi*, ac *Sacrilegi* habendi erunt *isti*, qui in re tanti momenti *utrisque* se posse illudere sperant?

4. Nec quicquam his accommodatius reponi potest, quàm quod de se *Paulus* III. moriturus dixisse fertur, se *jam experturum veritatem trium Quæstionum*, *de quibus in totâ vitâ dubitâsset*. (1.) *An animæ immortales?* (2.) *An sit infernus?* (3.) *An Deus?*

5. Nec enim cogitaret quis, horum quicquam eos credere posse, qui *Venales* miserorum animas, quas tamen Deus *suas solius* esse asserit, *Ezek.* 18. v. 4. nec alterius cujusquam arbitrio subditas, ab *infernalibus pœnis*, (*tales* enim statuunt esse, *quas* in *Purgatorio miseræ* subeunt,) pro libitu eximere se posse profitentur.

6. Interim non possum satis mirari, cur tanquam *tartareorum castrorum* [c] *Metator* Bellarminus, omnes *inferorum* sinus, & *abditissima ejus adyta* depingeret, quum tamen *ignorare se locum Purgatorii ipse* non dissimulet:

[c] *De Purg. L. 2. c. 6.*

7. *Platonem* quidem secuti *Pontificii*, ut fatetur [f] *Eusebius*, qui *defunctis* in *tres quasi classes distributis*, τὰς ὁσίως καὶ δικαίως βιώσαντας, *qui sanctè*, *ac justè vixerant*, *in campis Elysiis* ἀνιάτως ἔχοντας, *qui insanabiles fuerant*, *in Tartaro collocat*, quorum verò *peccata* ἰάσιμα, *sanari poterant*, *ardentibus* quibusdam *flammis* immergit, cum quo sensisse videtur *Virgilius*, sic scribens,

[f] *Præpar. Ev. L. 11. ad finem.*

Infectum eluitur scelus, aut exuritur igne:

Platonem, inquam, aut *Virgilium* secuti, habent quo doctrinam suam *de Purgatorio* aliquadantenus defendant; at nolim tamen eos *suo damnari Purgatorio*, nolim eos ei (uti Græci loquuntur,) μαγειρείῳ καὶ πάπᾳ addicere, ne fortè illinc *Vestigia nulla retrorsum*.

8. Id tantùm velim, secum seriò cogitent, quàm tunc *terribilis* erit *illa* [g] *Vox* Servatoris, quum professus [g] se non magis *nosse* ipsos, quàm suum *ipsi* norant *Purgatorium*, dicet illis, πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ, τὸ [h] ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, [h] *discedite a me*, *maledicti*, *in ignem æternum*, *præparatum Diabolo & Angelis ejus*.

[g] *Luc. 13. v. 25. 27.*
[h] *Matth. 25. v. 41.*

9. Et cerè quum *ista* dicet *Æquissimus Judex*, *Purgatorium nullum erit*; Unde & infero, nec jam ullum *esse posse*; quum non major ratio sit, cur, qui [i] *superioribus seculis*, quique *hodie* moriuntur, *igne illo* purganci sint, quàm, *qui* in [i] *novissimo die* superstites, in *occursum Domini rapientur in aerem*.

[i] *Thessal 1. c. 4. v. 17.*

10. Sed pergis ergo, p. 146. duóque profers Scripturæ loca, *viz.* [k] 1 *Cor.* 3. v. 12,

[k] *p. 146.*

3. v. 12, 13, 14, 15. & [l] *Matth.* 12. v. 32. quibus nisi satis fiat, 'Veteris 'Ecclesiæ Catholicæ sententiam de *Statu Animarum* post mortem, & de '*Oratione pro mortuis*, frustra, inquis, quis impugnabit. [l] *pag.* 148.

11. An sit illa Veteris Ecclesiæ Catholicæ sententia, quantum *ad Statum Animarum* post mortem respectu *Purgatorii*, vix, puto, Tu, vel quisquam alius probaverit: quantum verò ad [m] '*Orationem* pro mortuis, diu, in usu 'fuisse, nos quidem minimè inficiamur; at morem hunc nec ab Apostolis 'institutum, nec iis viventibus in Ecclesiâ receptum, nec denique, quo 'tempore primùm inolevit, *Purgatorium* propterea creditum fuisse, con-'cedimus. [m] *Syntag. Tilen. p.* 460.

12. Patres, qui illud institutum ad Apostolos referunt, cum vulgo hallucinantur, quod vetera instituta pleraque, quorum Auctor ignoratur, *Apostolis* tribuere solet, quo major Auctoritas iis concilietur. Nos verò, quid *Apostolicum* sit, nec tutiùs, quàm in Scriptis *Apostolicis*, investigari, nec certiùs reperiri posse, persuasum habemus; Et ad illud, quod ex his attulisti Tu, lubenter jam provocamus.

13. Est autem primus locus, ad *Corinth.* 1. c. 3. v. 12, 13, 14, 15. εἰ δέτις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον τοῦτον, χρυσὸν, ἄργυρον, λίθους τιμίους, ξύλα, χόρτον, καλάμην. ἑκάστου τὸ ἔργον φανερὸν γενήσεται· ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, ὅτι ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται· καὶ ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι, τὸ πῦρ δοκιμάσει· εἴτινος τὸ ἔργον μένει ὃ ἐποικοδόμησε, μισθὸν λήψεται· εἴτινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, ζημιωθήσεται· αὐτὸς δὲ σωθήσεται· οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός. *Si autem quis superædificat super fundamentum hoc, Aurum, Argentum, Lapides pretiosos, Ligna, Fœnum, Stipulam, Uniuscujusque opus manifestum fiet, nam dies declarabit; quia in igne revelabitur; & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit, si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus exuretur, damnum feret; Ipse autem servabitur, ita verò quasi per ignem.*

14 Hæc Tu verba ad *Animarum statum post mortem* refers; referuntque hæc ad eundem, quos Tu sequeris, alii; & nescio quo æstu abrepti, quasi uno omnes ore ad *Animarum illum statum*, & *Purgatorium* pertinere clamitant: At *quæ* tamen vel *unica vox* hîc reperitur, *quæ* huc spectare poterit?

15. *Fundamentum* de quo agitur, est *Christus*, v. 11. θεμέλιον γὰρ ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter illud, quod jactum est, quod est Jesus Christus*: *Idem Christus, qui pretioso suo sanguine nos redemit*, Pet. 1. c. 1. v. 18, 19. qui διὰ τῆς θυσίας τοῦ σώματος [αὐτοῦ] ἐφάπαξ. ad Hebr. 10. v. 10. *per oblationem corporis sui semel factam sanctificavit nos, qui* μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν, ibid. v. 12. *unum pro peccatis offerens sacrificium* εἰς τὸ διηνεκὲς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, *in sempiternum sedit ad dexteram Dei*. & v. 14. μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους; *una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*: & prius Cap. 9. v. 26. νυνὶ δὲ ἅπαξ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ πεφανέρωται. *Nunc autem semel in consummatione seculorum ad abolitionem peccati, per sacrificium sui apparuit*: καὶ καθόσον ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν, μετὰ δὲ τοῦτο κρίσις; *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post autem hoc Judicium*, οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἅπαξ προσενεχθεὶς, εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, ἐκ δευτέρου χωρὶς ἁμαρτίας ὀφθήσεται τοῖς

τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις εἰς σωτηρίαν; *Sic & Chriſtus ſemel oblatus, ut multorum tolleret peccata, ſecundò ſine peccato apparebit ipſum expectantibus in ſalutem.*

16. Hoc itaque primùm poſito, *Chriſtum* ſic *plenum pretium* perſolviſſe, *pretium* quod perſolvit, à *Patre acceptum* fuiſſe, *fidelibuſque applicatum*; ſi nihil aliud ex contextu hoc colligere eſſet, certè *Purgatorium*, quod *ſupponit aliud pretium* dari, neutiquam eſſet concedendum.

17. Sed pergamus ergo diſcutere, quæ ſequuntur; quæ *ſuperædificari ſuper hoc fundamentum* hîc dicuntur, ſunt *Aurum, Argentum, Lapides pretioſi, Ligna, Fœnum, Stipula*: per *quæ, fidelium opera* intelligi ſolent, non *omnia* ejuſdem *generis*, aut *pretii*; ſed prout hæc *inter ſe* diſtinguntur, ita & *illa quoque diverſa eſſe* agnoſcimus, *diverſiſque ædificii partibus* adaptanda, ad *firmitatem, ornamentum*, aut *compagem, aliter atque aliter* ſpectantia; An verò ſic *firma, ornata*, at rectè *compaginata* ſint omnia, proceſſu *temporis* patebit; non enim ex eo *de ædificio* ſive de *Operibus* judicandum erit, quod in tempus *ſpecioſa* ſint, aut videantur; ſed quòd omnia, *ſolida*, ac *ſtabilia* perdurent; Hoc enim *dies*, ſive *tempus* declarabit, quia *in igne revelabitur*, *& uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* εἴπερ ἔργον μένει ὃ ἐπῳκοδόμησε, *ſi cujuſquam opus maneat, quod ſuperædificavit*: Si ſit illud opus ex *Auro, Argento, pretioſiſve illis Lapidibus*, quæ violentiæ ignis non cedent; ſed à ſordibus duntaxat purgata clariùs fulgeant; ſi *perſecutionem*, & *afflictionem*, (*quæ* ſunt *ille ignis*,) fortiter tolerare queant, atque inde ſolùm expurgatiùs exeant, mercedem accipiet illorum Author; ſin verò *cujuſquam opus tale ſit*, quod *perſecutionis, ac afflictionis*, ut ita dicam, *purgamen* non feret, ſed iiſdem *atteratur, aboleatur, exuratur*, ζημιωθήσεται *damnum feret*; nihil *laudis*, aut *mercedis*, inde reportabit *illius Author*; αὐτὸς δὲ σωθήσεται, *ipſe tamen* (in quantum ſuper *hoc fundamentum*, i. e. *Chriſtum* ſuperædificavit, in quantum verò *fidelis* ſit, licet in aliis ſic defecerit,) *Servabitur*, οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρός: Ita verò quaſi *per ignem, difficulter* quidem, & ſic, ut aliter *fidem* ſuam, ſive per *pœnitentiam gravem*, ſive per *perſecutionem novam tolerandam*, tandem & ipſe *probatam* dederit.

18. Poteſt quidem hæc, aut hujuſmodi eſſe loci hujus paraphraſis; at verò quid hic de *Purgatorio igne*, quid de *ſtatu Animarum poſt mortem, diverſo* quidem à *præſenti hac*, aut *futurâ vitâ*?

19. Dicitur quidem ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, *dies declarabit*; at *quis dies*, quæ *declaratio* in Purgatorio? ubi nihil niſi *nox tota, & ignoratio omnium*?

20. Dicitur quoque ἑκάστου τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι, τὸ πῦρ δοκιμάσει, *Uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit*; an ergo *omnes* ad Purgatorium relegabis? nec *Sanctus*, nec *Martyr* quis *purgamen* illud evitabit? quid ergo vult illud, μισθὸν λήψεται, *mercedem* accipiet? an eſt *illa merces* in *Purgatorio* reperienda?

21. Sed dicitur quoque ergo, inquies, εἴπερ τὸ ἔργον κατακαήσεται, *ſi cujus opus exuretur*; ζημιωθήσεται *damnum feret*; nec id etiam Categoricè dicitur: ſi *exuratur*, ſi *tale* ſit *opus*, quod non *feret probationem, damno* certè *ipſi* erit; at non dicitur tamen ipſe *exuretur*; immò cujus contrarium verum eſt, dicitur αὐτὸς δὲ σωθήσεται, *ipſe verò ſervabitur*: ægrè quidem, & difficulter, οὕτως ὡς διὰ πυρός, non *in igne*, ſed *quaſi per ignem*. Sic quidem, ut qui per *afflictionem*, aut *perſecutionem*, ſaltem per *pœnitentiam acerbiſſimam*, utrique

que *parem*, tanquam *Aurum*, ſive *Argentum igne* probari ſolitum, ad *ſalutem perveniet*.

22. Quanquam etiam toto orbe errant, qui textum hunc communiter ad *Chriſtianos omnes* pertinere cenſeant: patet enim ex ſuperius dictis, de *Miniſtris* tantùm, & *Evangelii præconibus* locutum eſſe Apoſtolum, *Corinthioſque* reprehendiſſe, quòd in *Factiones* & *Schiſmata Doctorum* abiiſſent: v. 3. *cum enim dicat quis*, ἐγὼ μὲν εἰμι Παύλου, ἕτερος δὲ Ἐγὼ Ἀπολλῶ: *Ego quidem ſum Pauli, alius verò Ego Apollos*, οὐκὶ σαρκικοί ἐστε, *nonne carnales eſtis? Quis igitur eſt Paulus, quis verò Apollos*, niſi *Miniſtri* per *quos credidiſtis, & unicuique ſicut Dominus dedit: Ego plantavi, Apollos rigavit, ſed Deus incrementum dedit*: v. 4, 5, 6. *Itaque neque plantans eſt aliquid, neque rigans, ſed qui incrementum dat, Deus. Plantans autem & rigans unum ſunt*, ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον, *uniſquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundum proprium laborem*; *Dei enim ſumus* συνεργοὶ *cooperarii*, Θεοῦ γεώργιον, Θεοῦ οἰκοδομή ἐστε, *Dei agricultura, Dei ædificium eſtis: ſecundum gratiam Dei datum mihi, ut ſapiens Architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat*; *Unuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificat*; *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter illud, quod jactum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus*. v. 7, 8, 9, 10, 11.

23. Jam verò ſi de *Miniſtris*, & *Evangelii præconibus ſermo* ſit, ſi *merces hîc memorata* ſit *illis propria*, ſi *damnum illorum* duntaxat ſit, *doctrinam* aliam, quam per Spiritum *Paulus* tradiderat, populo prædicantium: Si *Doctrinæ*, quam prædicant, *Veritatem*, *dies* declararet; *ſinceri*, an *temporarii* tantùm ſint, quæ tum adfutura erat *Afflictio*, brevi probaret; ſi *is* eſſet ille *ignis*, per quem tanquam *Aurum*, & *Argentum*, *expurgandi* eſſent; ſi *falſa doctrina*, ſit *Lignum*, *Fœnum*, *Stipula*, quæ, referendo hæc ad Metaphoram ignis, *ejus probationem* non ferrent: Si *damnatâ*, quam prædicabant, *falſâ doctrinâ*, *abolitâ*, atque quaſi ſic *exuſtâ*, ipſi tamen *fundamentum*, licet *ſuper idem male ſuperædificent*, utcunque *firmiter tenentes*, non *excidant fide*: *peribit ipſorum opus*, tanquam *Lignum*, *Fœnum*, & *Stipula*; *adjuncto igne*, evaneſcet, *ipſis* nihilominus licet *ægrè*, *& difficulter* ſalvis.

24. Si ſit hic loci hujuſce genuina interpretatio, qualem puto eſſe, quum nihil hîc à *literâ*, & *analogiâ textûs* alienum afferatur; non video, quid hic proficias, *Otrokocſi*, niſi fortè in eo ſpem ponas; fore, ut *Opere tuo*, (opus enim profectò eſt id ut ſperes,) ſic, ut hîc dictum eſt, *exuſto*, *illo* tantum *damnum & detrimentum* ferente, ipſe tamen *ſerveris*; ſed ſi *ſervandus*, (& id Te velim, proprio ſuo ſenſu plenè capias,) οὕτως ὡς διὰ πυρός, ſic ut *per ignem*.

25. Adeò nulla Tibi ſpes in *Purgatorio*, (de quo nec hîc, nec alibi ſacræ paginæ, vel unica ſyllaba,) nulla niſi *per ſeriam pœnitentiam*, (ſi ſic pro ſummâ ſuâ miſericordiâ *in fornace ignis* adhuc Te ſibi eligere Deo placuerit,) & afflictionem, damnum hoc reſarciendi *methodus*; nulla, (quò alii illi loco quem ex *Matth.* c. 12. v. 32. profers, ſimul reſpondeam;) nec in hoc *ſeculo*, nec *futuro*, i. e. ut *Marcus* c. 3. v. 29. & *Lucas* c. 12. v. 10. ſimpliciter & præcisè enuntiant, *nulla unquam* futura *erit Remiſſio*; Adeò certè vereor, ut *peccatum* illud contra *Spiritum Sanctum*, ſaltem quod ei *proximum* eſt, admiſiſſe videaris.

26. Sed

26. Sed ἐκ πυρὸς εἰς φλόγα; *à Purgatorio igne*, in quam Te flammam non præcipitas? quas non faces quaſi undique accenſas conjicis? *De Venerabili Sacramento*, [p. 155.] *De Regimine Epiſcopali*, [p. 156.] *De Primatu*, [p. 157.] *De Antichriſto*, [p. 157.] *De Juſtificatione*, [p. 161.] *De Certitudine ſalutis*, [p. 170.] *De poſſibilitate in homine regenito implendi per gratiam Dei præcepta*, [p. 172.] bellum Proteſtantibus indicis; & tanquam *generoſus hoſtis*, *alia* uti dicis, *doctrinæ ipſorum errata ſtudio brevitatis præteris*, [p. 172.]

27. Et iſta quoque *præteriiſſe* poteras; & quidem *præteriiſſe videris*; nec enim niſi *raptim*, & vix *ſumma rerum* attingens, quicquam hîc proponis; Sed utcunque tamen Tibi *operæ pretium* eſt, oſtendere, quàm *totus totus* abiiſti in *Romanenſium caſtra*; quàm, non tria tantùm *illa ardua* (nimirum 1. ‘ De ‘ Deo *ſolo religiosè* adorando. 2. De *remiſſione peccatorum*, & *vitâ æternâ* per ‘ ſolius *Jeſu Chriſti merita* conſequendis. 3. De *Scripturâ ſacrâ* Hominum ‘ *ſcriptis*, *Definitionibus*, & *Traditionibus* ſuperiori habendâ, [pagina Tibi ‘ 31. Mihi p. 10.] ſupra memorata, *quibus ſingulis contradicis*; cum illo ‘ *alio obſtaculo de Antichriſto magno*, *an venerit*, necne? quod *è pectore* ‘ *tuo ſublatum eſſe dicis*, *p.* 23.)’ ſed quicquid aliud eſt, in quo à *Proteſtantibus* diſſentiunt *Romanenſes*, protenus amandâſti!

28. *Res eſt profectò ſtulta nequitiæ modus*! Sic olim *Poeta*, Utinam non ſic ſenſiſſet Otrokocſi.

29. Et quidem, qui *quatuor iſta* tam facile *auferre queat obſtacula*, qui *Divino cultui*, qui *meritis Chriſti*, qui *Scripturæ ſacræ* nuncium unà remittere, nec dubitare interim, an *Antichriſtus* ille ſit, *qui* iſta doceat, aut eadem *qui* amplectatur, *Antichriſti aſſecla*; *Quid* eſt, quod *poſt iſta*, non is *ſuaviter deglutiat*? *deglutiiſſe Te* omnia ſatis declaras, FORIS, & caveas tandem, ne in Te quadret, quod habetur *Joan.* 1. c. 2. v. 19. ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, ἀλλ' ἐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν, *ex nobis exierunt*, *ſed non erant ex nobis*; & quinam illi iſthic *exire dicti*? Verba immediate præcedentia hæc ſunt, καὶ νῦν Ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν, ὅθεν γινώσκομεν, ὅτι ἐσχάτη ὥρα ἐστιν. *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt*, *unde novimus*, *quod noviſſima hora eſt*:

30. Nolim Ego Tibi *graviora* denunciare, quàm denunciavit ipſe *Deus*, nec *Paronomaſiæ* causâ hîc affero, quod habetur 1 *Cor.* 5. v. 13. τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει, eos autem FORIS Deus judicat; judicabit certiſſimè *Veritatis* Deus inter *Te*, *ac nos*, & puto *ex parte* jam judicâſſe, quòd, uti loquitur Apoſtolus ad *Rom.* 1. v. 28. Sic Te παρέδωκεν ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα· *tradidit Deus in reprobum ſenſum*, *facere ea*, *quæ non decent*: poteram adjicere εἰς πάθη ἀτιμίας, v. 26. *ad paſſiones ignominiæ*, & ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς καρδίας εἰς ἀκαθαρσίαν, v. 24 *concupiſcentiis cordis in immunditiam*; nam *Idololatris*, *quid* eſt *horum*, quod non nimis convenit? *quid eorum omnium* quæ ibidem ſubjungit *Apoſtolus*, ad quod Homines *Idololatria* non *pronos* reddit?

31. Nihil certè *verius* eſſe poteſt, quàm γνόντας τὸν Θεὸν, ἀλλ' οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ἢ εὐχαριστήσαν, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν καὶ σκοτισθῆναι τὴν ἀσύνετον αὐτῶν καρδίαν, *cognoſcentes Deum*, *ſed non ut Deum honorantes*, *gratiaſque ei agentes*, *Vanos fieri in cogitationibus ſuis*, *& obſcuratum eſſe inſipiens eorum cor*: nihil *certius*, quàm quòd φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, *dicentes ſe eſſe ſapientes*, *ſtulti ſunt*.

32. Ego

32. Ego *hæc* nec *illis*, in *quorum caſtra* jam tranſiiſti, nec *Tibi* citâſsem, ſi non pro comperto eſſet, nuſquam obtinuiſſe *Idololatriam*, (*Cujus* non poſſum non *illos reos* peragere, quicunque *imaginibus*, vel *aliis rebus creatis propriè dictam Religionis adorationem, ſeu cultum ſtrictè Religioſum* exhibuerint, (quæ tua verba ſunt, animique tui ſenſa de Eccleſiæ *Romanæ* praxi tum exprimebant p. 31.) Hæc, inquam, nec *illis* nec *Tibi* citâſsem, ſi non pro comperto eſſet, nuſquam obtinuiſſe *Idololatriam*, ubi aut *omnia*, aut *plurima iſtorum*, quæ illic enumerat Apoſtolus, non ſimul obtinuerant *Vitia*.

33. Nec Tibi, velim, ſic *blandiaris Franciſce*, (*Franciſcane*, ſi dixiſsem, non nimis à re abluderem, quum nec *iſte etiam ordo* ab omni ſuſpicione ſeſe hîc liberabit,) quin pro certo ſcias, *quæcunque* hominum *communio Prærogativam illam* ſoli *Deo* propriam, *peccata quæcunque remittendi*, uſurpat; quæcunque per *Indulgentias*, id *pecuniæ interventu* concedit, quod *ſolius Chriſti meritis* debetur; quæcunque *poſt mortem* quoque *peccatoris, peccatorem* revocari poſse ad *Gratiam* docet; quæcunque (quod non rarò fit,) ad *hunc*, aut *illum*, (uti ſtatuit *ipſa*,) *Sanctum*; *ad hujus aut illius* Creaturæ, & non ad altiſſimi Dei *altare* ſupplices mittit; aperit *illa ſceleribus omnibus*, & *flagitiis* latiſſimam non *feneſtram* modò, ſed *portam*; immò *limites, terminoſque quoſcunque Virtuti, Pietatique* poſitos penitûs pandit, amovetque.

34. Quoniam verò tam liberaliter ſuſcipis *Errorum quorumcunque Eccleſiæ Romanæ* Patrocinium; quanquam ſatis noſſe poteras, quàm ſit cauſa *illius* jam olim *deſperata*, quotieſque ab *illis ipſis Reformatoribus*, (quibus Tu hîc tam fruſtra *invidiam* conflare conaris,) æquè ac *aliis plurimis Proteſtantibus, profligata*; utcunque tamen *ſi copias tuas* educere, *quaſque* nunc velitando tantùm *Vires* quaſi *primas* jactitas, experiri allubeſcet, *ſerium* Tibi, ac juſtum *Antogoniſtam*, (Deo ſic volente, ac me ſuperſtitem dante,) promitto.

35. Nam licet in me non ſuſcipiam, quod *Reformatoribus*, aut *cuicunque alii* humanitùs accidit, defendere; Veritatem tamen divinam, cui nihil poteſt humanitùs accidere, niſi quòd *puſillus* atque *infirmus homo* ſit, qui eandem aſſerit, neſcio quare, non *intrepidus* defenderem; nec dubito, quin cujus *cauſam* ago, *invicta ipſa* Victorem dabit.

36. Nec enim poteſt non *triumphare Veritas*; triumphavit ſemper adhuc, etiam quum *oppreſſa*; nec, quicquid *Defenſores* ejus errâſſe unquam potuerint, (non enim illos ultra *ſortem humanam* evehimus,) quicquid uſque adhuc *mutilum, mancum, imperfectumque in illius cauſâ* extiterit, (ut demus id omne quod hîc inſinuas,) an neceſsarium ergo eſt, ut ſemper erretur; nec *Reformari* debuerit Religio, quia *Reformatores ipſi* vix, aut ne vix reperiri queant, ab humanis omnibus infirmitatibus immunes?

37. Quòd tamen unum ſi *candide*, & *Chriſtiano animo, ac charitate* dicatur, accipiaturque, ſeptimo *tuo prolixo*, & *bilioſo capiti*, ſic ut qui *bile* agitati ſolent, in *molem*, neſcio *quam*, certè *ſupervacaneam, inutilemque* à p. 173. ad p. 502. extumeſcenti, *brevis* quidem, ſed *plena* jam datur reſponſio.

38. Enimverò quid ſibi volunt longæ iſtæ ambages, *De Indulgentiis*, [p. 173] *De comparitione Lutheri coram Cajetano Auguſtæ*, [230.] *De Eraſmo*, [255.] *de Diſputatione Lipſienſi*, [262.] *de Bulla Leonis contra Lutherum*, [327.] *De Lutheri oppoſitorei furore, de Actis Lutheri Wormatienſibus*, [348.]

aliisque rebus huc spectantibus? poteras dixisse & de tuo, *Luthero, ejusque gestis* oppolito furore ; nec enim quicquam spirat universum istud caput, *nisi scribentis rabiem*? at quid tandem volunt *ista omnia*, (si concederemus etiam, quod non probâsti,) nisi in *quibusdam errâsse illum*, quem *Nos Protestantes* non dicimus fuisse *perfectum*?

39. Nec verò, ' quam dicis Te *Historice*, & velut in *Epitome*, originem, ' & progressum *secessionis* celeberrimi *Lutheri*, ejusque sequacium ab *Ecclesiâ* ' *Romanâ*, pandere,' multis Tecum arguam ; quum, quantum ad *res gestas* non *hanc* aliter fere, quàm à me factum est, Cap. VIII. IX. X. enarrâsti ; nisi quòd *disputationem illius* adversus *Indulgentias*, (95. propositionibus constantem,) *An. D.* 1517. die 31. *Octobris* habitam, multùm mutilâsti, *brevitatique* aliquantulum *plus justo* studens, propositiones, 4. 5. 8. 9. 12. 23. 24. 29. 30. 31. 35. 39. 40 42. 43. 44. 45. 46. 55. 57. 58. 59. 67. 68. 73. 74. 77. 78. 79. 80. 83. 84. 85. 87. 90. 92. 93. 95. passus es intercidere, ut videre est pag. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. *eodemque brevitatis studio*, *magnam quoque partem Bullæ Leonis* die 15. *Junii Ann.* 1520. contra *Lutherum* emissæ, omittis pag. 329. quanquam illic nonnihil magis ingenuè, numeris *eorum*, quos dicis *Lutheri, errorum, quosque* illic das, distinctè appositis.

40. Ast, ut ad rem redeam, erraverit, necne *Lutherus*, non jam litem illam contestamur ; quod *contestamur tantùm*, & quod *summi momenti* apud Te fuisse oportuit, id est, scilicet ; an tum, quum *Lutherus*, (quocunque modo illud fecerit, ad rem *tuam*, *meamque*, aut cujusquam *boni Christiani* nihil attinet,) *Indulgentiis*, quas *Tecelius* quidem evulgavit, *Romanus* autem *Pontifex* emiserat, (nec de *causis* emittendi agitur,) opposuit sese ; quid in *Indulgentiis ipsis* erat *fidei Christianæ*, atque adeò *æternæ Hominum saluti* contrarium? Et, quò æternùm ilicant *oblatrantes momi*, an primò tantùm fecerat *ille*, quod *pro Officii ratione*, aut *potuit*, aut *debuit*?

41. Quanquam, si hoc ipsum daremus Tibi, fecisse *illum aliquid* quod non, aut *alio aliquo modo*, quàm *debuit*, non hoc *Te* excusabit *eosdem errores* amplectentem, *quos ille justissimè* redarguit.

42. Atque *Hoc* mihi, ac Tibi, mundóque, Deóque adeò ipsi *Cordium omnium*, *ac renum scrutatori*, (ad tremendum illius Tribunal Te jam cito,) *verè*, & *syncerè* respondeas ; quomodo speraveris tandem in *ultimo illo die* coram *Deo illo* comparere, *cujus Veritati* tam temerariè *nuncium* remisisti, idque *alia nullâ de causâ*, nisi quod præ Te feras, non debuisse *Veritatis illius Præconem fuisse Lutherum* ;

43. Eundem tamen illum *magnum Lutherum*, propter *quem* erit, cur *liberata Ecclesia* gratias maximas in perpetuum agat *misericordi Deo*, qui tanti erga *ipsam* boni Authorem hunc dedit, quique illum adversus tot malevolorum *odium*, *invidiam*, *lites*, *insidias*, *minas*, adversus *tantam* Pontificii *Orbis potentiam*, Spiritu etiam suo eousque sustentavit, ut *Veritatem saltem illam*, cujus *is* tam *assiduus*, *fortisque Præco* fuerat, nec tum, nec ad hunc usque diem sit passus intercidere.

44 Eluceścit nunc in *orbe Christiano clarior Evangelii dies*? at hujus *auroram aliqualem* deberi *Luthero*, proh quantum est? Sufficiat, quod eluceścere cœpit sub *initia Reformationis* tam justè (nunc dicam,) *decantatæ*, sic ut quilibet dies eluceścit : Alia quippe est *ineuntis*, alia *succreścentis diei*, alia *meridiei lux* ;

lux; nec expectari poterat, ut tam profundæ tenebræ, quibus tum diu obscurata fuerat Religio, simul, semelque evanescerent.

45. Nec (ut ad ultimum tuum argumentum à *Propheticis prædictionibus* desumptum *Capite tuo* 8. p. 503. respondeam) aliter prædicta fuit *Reformatio*, sive desideratissimus ille *Ecclesiæ restaurandæ* status, (quem *dispari* licet ratione, * disparibusque Scripturæ locis, quàm nos, *Tute ipse* stabilis,) quàm qui gradatim erat introducendus. * pag 303, 304.

46. Est autem *locus ille*, quo nonnullis interpretibus videtur *ille* prædici: *Zachar.* c. 14. v. 6, 7. והיה ביום ההוא לא יהיו אור יקרות וקפאון: והיה יום אחד הוא יודע ליהוה לא יום ולא לילה והיה לעת ערב יהיה אור: *Et erit in die illo, non erit lux clarissima* [pretiosissima] *&* [vel] *spissæ tenebræ*, [*concretio densitas*,] *&* [sed] *dies unus erit ipse, notus erit omnino*; *non dies, neque nox, sed in tempore Vespertino* [Velperæ] *erit lux.*

47. Nec *lux clarissima* nec *tenebræ spissæ*; quid hæc denotant, nisi *medium quendam statum*, in *quo* nec *clarissime* effulgebit *Veritas*, nec tamen sic *obscurabitur*, ut quum prius *errorum Nebulis* quasi *tota* delituit? non erit *perspicua* illa *Evangelii cognitio*, quæ *ignorantiam omnem* excludet, nec tamen illa *crassa ignorantia*, quæ quasi *nocte altâ* involvet omnia; *notus erit Domino ille dies, quem* pro divinâ suâ sapientiâ *talem* esse permittit, ut sic quasi *justis* incrementis *diei claritas* paulatim procedat, donec tandem, (quanquam id respectu *Reformationis*, non erit nisi *Vesperi*,) *lux ipsa, pura* nimirum & velut *immixta* lætissimè emicabit.

48. Interim verò demus, (quoniam id tantopere flagitias,) nec *doctrinâ*, nec *moribus*, (quanquam non video quid in his tam justè reprehendas, sed clamori tamen importuno cedamus,) *Reformatores primos Evangelii puritatem omnem* non attigisse, demus nec adhuc *illam* assecutos esse *reliquos Christianos*, (nec enim *Tibi*, aut *mihi*, aut *alii alicui* plus lubens concedo, quàm meremur;) An ergo nec ad *hanc illos* omnino viam aperuisse dabimus?

49 An verò si *Lutherus* ipse non fuerat *omnibus numeris absolutus*, nec *numeris omnibus* tum *absoluta Reformatio*; usque adeò omninò nihil est, quod tum factum erat? aut nihil saltem, quo *læsam* ejus *famam* ab inimicorum invidiâ vindicemus? Audiamus ergo ipsum hac in parte causam agentem suam: 'k Ante omnia oro pium Lectorem — ut *ista* legat cum judicio, immò cum 'commiseratione, & sciat me fuisse aliquando Monachum, & Papistam insa- 'nissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, immò submersum 'in dogmatibus Papæ, ut paratissimus fuerim, (sic olim *Paulus Actor.* 9. v. 1. 'ἐμπνέων ἀπειλῆς ϗ φόνε εἰς τὸς μαθητὰς τ κυείυ, *spirans minas & cædem in discipulos domini*,) omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari, '& consentire, qui Papæ, vel unâ syllabâ obedientiam detrectarent. Atque iterum, [p. 74, 75.] 'dabis hunc errorem, pie lector, vel, (vel ipsi calumniantur,) antilogiam tempori, & imperitiæ meæ; solus primò eram, & 'certè ad tantas res tractandas ineptissimus, & indoctissimus, immò submersus in dogmatibus Papæ: *Casu* enim non *voluntate*, nec *studio* in has 'turbas incidi, Deum ipsum testor! k *Præf. Oper. An. 1545. edit.*

50. Jam verò, quòd *Monachus*, & *Papista insanissimus*, quòd *ebrius*, *immò*

immò ſubmerſus in dogmatibus Papæ eouſque procederet; quòd qui *ſolus primò*, qui non *voluntate*, nec *ſtudio*, ſed *Caſu* tantum in *iſta* inciderat, *prodiret tenus*, quàm juſtâ laude & admiratione dignum?

51. Vituperent alii, quòd non ultra promovit, mirabor Ego, Deóque ſoli acceptum referam, quod tantos in tam arduo opere progreſsus fecit: Incuſent alii, Túque præcipuè, *Otrokocſi*, quòd ſe *Lutherus* dixerit *caſu*, non *voluntate*, vel *ſtudio* in ejuſmodi *opus* incidiſſe; Ego *caſum* illum *Numini* tribuam, cujus *inſcrutabili conſilio* illud unicè debetur: *Tu*, quod *ille* præſtitit, vile quid, & exiguum cenſes, quòd non *ſingulari* & *extraordinariâ vocatione* (quod toties crepas,) ad id *animatus* fuerat; Ego ſic *animatum* exiſtimo, quòd *tot*, ac *tanta* poterat; quòd ſic laceſſente *ipſum univerſo papiſtico Orbe*, quòd *exitium*, *mortemque ipſi* toties minitantibus *adverſariis*, quòd *univerſâ ſuâ potentiâ*, æquè ac *conſilio*, *aſtuque* uſus ipſe *Papa*, nihil contra *ipſum* valuit; quòd tot *injuriis*, juxta ac *calumniis* undique impetitus, ſemper tamen *tutus*, & *incolumis* evaſit; quòd quum à *Cæſare* proſcriptus Anno 1521. ut ipſe refers, non aliâ de causâ, quàm quòd 'in libris 'ſuis, ne minimam quidem ſyllabam velit mutare, præterquam ſi à viro ex- 'cellenter erudito, convinceretur; idque ſecundum ſuam duntaxat Regulam, 'nec ex Conciliis, aut *Cæſareis*, Pontificiſve Decretis, aut ullius Patrum Au- 'toritatibus, quantumlibet Sancti, ſed *tantùm ex Teſtimoniis verbi*, p. 455. Quòd circumfremente *Pontificiorum grege*, nec quid *Conſilii* caperetur, aut *ipſe*, aut *amici ejus* invenire poterant, ſic, *quaſi per miraculum*, *ipſo inſcio*, & *inſperante*, in *Juam* (ſic poſtea nominata eſt *Arx Wartsburgenſis*, in quam abductus erat, *Frederico Electore* nobilibus quibuſdam, de quorum fide compertum habebat, negotium dante) *Pathmon* abreptus eſt: *Tu*, quòd non præceſſerat *Prophetica aliqua prædictio*, *Reformationem*, & *Reformatorem* aliquem eximium deſignans, *Reformationem*, *Reformatoremque* vituperas, *Ego* quòd perfecit ea *Lutherus*, quæ prædicta ſunt, *Prophetiæ* aliquâ ſaltem ex parte *ſatisfactum* puto.

52. Et ne diutiùs lateant *Te*, quæ *Reformationem* fortè *ipſam* præcipuè ſpectant *Prophetiæ*, ex *illis*, *quas Tutemet ipſe*, licet alium in finem, memoras, *binas* ſeligo, *alteram* ex *Apocal.* c. 14. v. 6. [p. 505.] *alteram* è cap. 18. v. 4. [p. 509.] cui addo & tertiam *Apocalypſ.* capite itidem, 14. v. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

53. Id tantùm velim, (quò ſcias *Reformationem iiſdem gradibus* proceſſiſſe, *quos* ex *Zachariæ* 14. v. 6, 7. jam nunc *præſignificatos* obſervavimus,) *Tecum* rite expendas, non has *Prophetias* ſic editas eſſe, tanquam *quæ* momento temporis *omnes*, & *omninò* complendæ eſſent; quippe aliud *Meſſis*, aliud *Vindemiæ* tempus; de quibus *Apocalypſ.* 14. v. 15. 16. 17. 18. 19. 20. aliud *Evangelii æterni* prædicandi initium, *Apocalypſ.* 14. v. 6. 7. aliud poſt *prædicatum illud Evangelium*, *diſceſſionis integræ* complementum:

54. Nec ex *rei naturâ*, (Deo ad hæc hominum Miniſterio communiter utente,) expectari poterat, ut *hæc* aliter perficerentur, quàm quæ inter homines perfici ſolent, i. e. *juſtis mediis*, & *intervallis*; ſic tamen, ut *divinâ gratiâ*, *Providentiâque potenti* cooperante, (*Hominibus ad hæc excitatis*, idque hic *facientibus*, ad *quod* ex ſe non ſatis idonei ſunt,) maturentur quidem rerum exitus, adque certum ſuum finem ἡδέως καὶ ἰσχυρῶς *ſuaviter* ac *fortiter* perducantur.

55. Nec

55. Nec ergo, (ut nunc *Prophetias ipsas* discutiamus,) *unus* & idem *Angelus* velut *toti huic* operi *par* emittitur; sed *diversis* quasi *scenis*, *diversi* ierviunt *Actores*: *Primus quidem* dicitur πετόμενον ἐν μεσουρανήματι ἔχων εὐαγγέλιον αἰώνιον εὐαγγελίσασθαι τοὺς καθημένους ἐπὶ τῆς γῆς, *Volans in medio cœlo, habens Evangelium æternum, ad Evangelizandum sedentibus super terram*, cap. 14. v. 6. *Alius exiens de templo*, κράζων μεγάλῃ φωνῇ τῷ καθημένῳ ἐπὶ τῆς νεφέλης, πέμψον τὸ δρέπανόν σου καὶ θέρισον, ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα τοῦ θερίσαι, ὅτι ἐξηράνθη ὁ θερισμὸς τῆς γῆς, *Clamans magnâ voce sedenti super nubem, mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora metendi, quoniam aruit messis terræ*, v. 15. & post *hunc tertius exiens itidem de templo*, quod in cœlo, ἔχων καὶ αὐτὸς δρέπανον ὀξύ, *habens & ipse falcem acutam*, v. 17. *atque ab his adhuc diversus, cujus erat illa vox*, ἔπεσεν, ἔπεσε βαβυλὼν ἡ μεγάλη, *cecidit, cecidit Babylon magna*, Apocalyps. c. 18. v. 2. (atque etiam hujus 14. Capitis v. 8.) uti denique & *illa alia vox de cœlo*, v. 4. ἐξέλθατε ἐξ αὐτῆς ὁ λαός μου, ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς, καὶ ἐκ τῶν πληγῶν αὐτῆς ἵνα μὴ λάβητε, *exite ex illâ populus meus, ne communicetis peccatis ejus, & ne de plagis ipsius accipiatis.*

56. At rogabis igitur, (ut *has* ordine aliquanta explicemus,) quia *Angelus ille volans in medio cœli dicitur habere Evangelium æternum ad Evangelizandum sedentibus super terram*; quomodo ista *Reformationi* accommodari queant?

57. Vis itaque ut de *Æterno Evangelio*, Tibi ex tuis respondeam? memineris ergo, Quæ *ipse* retulisti, de *Luthero* ad *Comitia Wormatiensia* literis *Caroli* V. *Imperatoris evocato*, p. 443 444 445. 446. 447. 448. Quæ post *Cæsaris* discessum, de *illo* coram *Archiepiscopo Trevirensi comparente*, 450 451. 452. 453? *Quæ* eo redeunt denique, *viz.* profiteri *se verbum Dei* tantùm defendere, *verbóque Dei* unicè commissurum omnia; nec *Conciliis*, aut *Cæsareis*, *Pontificisve Decretis*, aut *ullius Patrum Autoritatibus* quantumlibet *Sancti*, sed tantum ex *Testimoniis verbi Dei* convincendum esse, p. 455. Memineris iterum, *Quæ* p. 404, 405. & ne *tuis Te* lassem, *Quæ*, quum coram *Cajetano*, p. 235, 237. *dixisse illum* memoras.

58. Et quò pateat, non prætextu solùm *Scripturam illi* frequenter *in ore* volvi, quod ipsi imputas p. 405. En, priusquam quid de *mutatione aliquâ somniavit*, sic [1] ‘ *Enarrantem Epistolam ad Romanos*, & *Psalmos*, ut post ‘ longam, & obscuram noctem, *nova lux oriri videretur*, omnium piorum & ‘ prudentum judicio! Sic tum monstravit *ille legis*, *& Evangelii discrimen*, ‘ ut quasi ex *tenebris*, *& carcere educeret Christum*, *Prophetas*, *Apostolos*! [1] *Melch. Adam. p.* 103.

59. Adeò certè, si qua Ecclesiæ ætas fuerat, in quâ *Evangelium æternum* Evangelizabatur; *illam* esse necesse est, quâ *Lutherus*, atque, quos vocas, *socii ejus*, prædicabant:

60. Quid quòd ipsum *Evangelicorum* nomen inde derivari videtur?

61. Nec verò fuit unquam *tempus aliquod* ab ipsis *Religionis Christianæ* primordiis, in *quo* vel *major erat Evangelii* prædicandi *necessitas*, vel in quo quidem magis *ipsum* insonuit.

62. Lectio quippe sacræ paginæ sub gravissimis pœnis interdicebatur populo; nec *Lutherus ipse* jam natus annos viginti, & unum, gradúque *Magisterii Philosophici Erphordiæ* ornatus, vel *Biblia unquam* viderat; donec [m] ibidem in *Monachorum Augustinianorum* Collegii Bibliothecâ libros ordine evolvens, [m] *Melch. Adam. p.* 103.

evolvens, ut discernere Auctores posset, *incidit in exemplar latinorum Bibliorum*: Et non ita diu pòst in *Concilio Tridentino*, Scriptura ipsa sacra quasi plane exauctorabatur: Nec verò ab illo tempore *lis aliqua* tam *gravis* inter *Protestantes*, *ac Pontificios* exorta est, quàm de *sacræ Scripturæ Autoritate*.

63 Hinc illa solennis disputatio ante *Colloquium Ratisbonæ* inter *Evangelicos* & *Pontificios*, præsentibus *Duce Bavariæ*, & *Palatino Neoburgico* Ann. 1601. institutum, de *Fidei norma*, sive *an Scriptura sit Unica norma, & Judex controversiarum*; & est profectò *illa* adhuc *summa quæstio*, inter *Protestantes*, & *Pontificios* agitata: Nec cupivissent tunc, aut ante, *Lutherani*, nec hodieque *Reformati* omnes aliud quicquam cupiunt, quàm ut in controversiis omnibus ad *Scripturam* provocetur.

64. Adeò *Evangelium æternum* illud est, quod *Protestantes omnes* prædicamus; & si non distincto *Evangelicorum* nomine simus omnes insigniti, tamen non est illo *gloriosior* aliquis titulus, *quo* dignosci possit *verus Christianus*, nec contra, *major cuiquam* inuri potest *ignominiæ macula*, quàm ut *Evangelii* hostis habeatur.

65. *Evangelii hostem* se ab *Evangelici* temporis primordiis exhibuit *Satanas*; [n] in Persecutione *Diocletiani* Imperatoris edictum promulgatur de *Codicibus sacris* conremandis, unde nomen *Traditorum* illis datum, qui atrocitate pœnarum perterriti, quos apud se haberent, *tradiderunt*:

n *Baron. Ann.* 302.

66. Sed factum hoc *ab Ethnicis*: A *Christianis* autem ipsis nunquam sic, ac in *Ecclesiâ Romanâ*, hac ex parte defævitum est.

67. Horrescat quis referens, quibus cruciatibus *ista* per aliquot secula divexaverat omnes, quotquot *Evangelii* puritatem, *erroribus* ac *coruptelis* ejus prætulerunt: satis notum est, quàm misserè ab *Ecclesia illa* tractati sunt *Waldenses*, & *Albigenses*, & quotquòt *alii*, *quos*, sub *isto*, aut quocunque alio nomine, non aliâ de causâ, quàm quòd *Veritatem Evangelicam* strenuè asseruerunt, *ruinæ*, atque *exitio illa* devovit.

68. Nec profectò *alia* videtur esse *Reformationis*, quàm ipsius *Evangelii æterni* causa; nec video etiam, *Quis* potior jure dici queat *Angelus* in *medio cœlo volans*, quàm *qui* in *illâ* natus *Ecclesiâ*, in ipso ejus quasi *meridiano*, inque *Imperii Pontificii* centro, non de *repente* tantum, & *inopinato* ad *Evangelii* defensionem adveniret, sed *nullâ* vi, *nullis consiliis* inimicorum attingendus, quasi supra *malevolentiam*, *invidiamque* eorum evectus, semper incolumis dilaberetur.

69. Non dico Ego *Lutherum* fuisse *illum Angelum*, sed fecisse tamen *ea* dico, *quæ* de *Angelo* illo prædicebantur; fecisse *ea* dico, quæ nullus *præter ipsum*, ex quo *Prophetia* illa per *Joannem* edebatur, *fecit*; & sic *fecisse omnia*, ut, nisi *Angelo quodam assistente*, vix fecisse potuisse *quisquam* videretur.

70. Sed sit hoc penes pii Lectoris judicium; sit penes omnium judicium, an alibi unquam sic *ex professo* prædicabatur *Evangelium*, dicam etiam, & *cum tanto successu*, ac à *primo*, ac *sequenti Reformationis* tempore? &, spero, sic prædicabitur, (nec cur id dubitem, scio, Prophetiis tot aliis in id conspirantibus, ut supra annotavimus,) donec consummabitur tandem, quod hoc eodem Capite, v. 8. juxta ac Cap. 18. v. 2. *magnâ voce* insonuit Angelus, ἔπεσεν, ἔπεσε βαβυλὼν ἡ μεγάλη, *cecidit, cecidit Babylon*: Non possum non fere

fere fateri me *triumphantem Eccho* ſubaudire, quum hoc pleniſſimè erit conſummatum.

71. Id tantùm obſervari ultra velim, non *bis* hic *geminari* ἔπεσεν, ἔπεσε, *cecidit, cecidit, certitudinis* tantùm causâ, ſed quoniam illic *duplex* quoque videtur ſignificari futurus *illius* caſûs: *primus* quidem, quum *inibat* Reformatio, *ſecundus*, quum, uti Tute id, ſatis ad rem, expreſſiſti, *deſideratiſſimus ille Eccleſiæ ſtatus* aderit; quum hoſtibus ejus tandem devictis, *juſtitia, veritas*, & *pax* felicisſima tempora *introducent, perficient, continuabunt.*

72. Hæc autem quid diſtinctius explicabit, quam *Meſſis*, & *Vindemia*? ſive *falx* primò ad *metendum*, v. 15. deinde ad *Vindemiandum*, v. 18. *immittenda*?

73. *Volaverat primus Angelus* habens *æternum Evangelium, Evangelizandum ſedentibus ſuper terram*, v. 6. Quod *Evangelizare* debuerat, id erat ſcilicet v. 7. φοβήθητε Θεὸν καὶ δότε αὐτῷ δόξαν ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα τῆς κρίσεως αὐτοῦ, καὶ προσκυνήσατε τῷ ποιήσαντι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ θάλασσαν, καὶ πηγὰς ὑδάτων, *timete Deum, & date illi gloriam, quia venit hora judicii ejus*; *& adorate eum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum.*

74. *Hoc* autem quid aliud ſignificare poterat, quàm quòd ab *Idololatriâ*, aliiſque *corruptelis*, quæ *ipſam* prius inquinaverant, *Reformanda* jam eſſet *Eccleſia*? in cœlo enim, ſive *Eccleſiâ volavit* ille Angelus, qui prædicaverat *Evangelium æternum*, perque *id* ab *improbitate omni, ſuperſtitione, atque Idololatriâ*, ad verum *Dei* cultum, *timoremque* homines quoſcunque revocavit:

75. Unde, quaſi quod exinde ſtatim ſequi oportuit, *alius* protenus adeſt *Angelus* dicens, *cecidit, cecidit Babylon illa magna civitas* [quæ] *ex vino iræ fornicationis ſuæ potavit omnes gentes*, v. 8.

76. Jamdudum *cecidit*; ſaltem *cadere* cœpit, *Evangelio ſic prædicato*; atque *tandem finaliter* cadet, Deo *Vinum iræ ſuæ mixtum mero in poculo iræ ſuæ effundente*, v. 10.

77. Jam verò *ſic caſurâ*; *iterum atque iterum caſurâ* Babylone: *primus ejus caſus, Meſſi* comparatur, v. 15. *Meſſis* autem *tempus* eſt, quando cujuſque generis *frumenta, triticum, Hordeum, Legumina*, reliquaque, ſuo quæque ordine, demetuntur; idcóque non *unicus tantùm dies*, ſed *plures, plures etiam ſeptimanæ*, aliquando & *menſes* eidem Meſſi demetendæ inſerviunt:

78. Nec, *quam* cum *hac* inire ſupponimus, *Reformationis, unius* aut *alterius diei, ſeptimanarum*, aut *menſium*, nedum *annorum* opus eſſe videtur; Quæ in medio cœlo (uti ſupra dictum eſt,) inchoanda erat Evangelii æterni prædicatio, ad omnem *Gentem, Tribum, linguam* & *populum* exire debuit, v. 8. ſic verò vix *exire potuit*, niſi *juſto temporis ſpatio, tanto, tamque multiplici* rerum eventui, ut par fuit, accommodato.

79. Et quidem cur non *bene ampla* hujuſmodi *meſſis*, in ipſis *Reformationis* initiis inchoari videatur? cur non *ejus progreſſus*, non obſtante tot ſuccedentium perſecutionum atrocitate, *diverſis meſſis partibus* aſſimuletur? aut cur tandem ſub *eodem pondere* creſcente quotidie (ut ita parvis magna componam,) *hac lauro*, cur non præcipuè in omnes mundi plagas ſeſe continuò hac ampliante, quid ſit in *omnem Gentem, Tribum, linguam*, & *populum Evangelizari Evangelium*, nonnihil intelligere inciperemus?

80. Nec

80. Nec ſic *propagandæ* etiam *fidei*, quum jam proprium illius tempus advenerit, obſtabit quicquam; quòd minùs ſyncerì verbi divini præcones, (*Pontificios* volo,) *Errores graviſſimos* tam longè, lateque diſſeminaverint; quum, quæ jam prope adeſt, *Vindemia*, ſic *hos* caſtigabit, ut juſtis *Dei judiciis* victi, vel *errores ſuos* tum detrectent ipſi, vel ſaltem alius loco cedant, qui *retentis* tantùm *Religionis* Fundamentis, quod purum, ſanctumque eſt, ſuperſtruxerint.

81. *Vindemiam* autem quum dixerim, *ultimamque* ei aſſignaverim *Reformationis partem*; conſiderandum erit ultra, quid hæc potiſſimum denotabit. Quid autem adjuncta *ei falx acuta, Torcular iræ Dei, ſanguiſque exiens ad frænos equorum*, denotare poſſunt minus, quàm *extremam Dei vindictam* in *Babylonem*? Ut *iſta* jam ſic *cadat*, ut non ſit *iterum reſurrectura*; ſecundum quod dicitur, cap. 18. v. 21. καὶ ἦρεν εἷς ἄγγελος ἰσχυρὸς λίθον, ὡς μύλον μέγαν καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν θάλασσαν, λέγων, οὕτως ὁρμήματι βληθήσεται Βαβυλὼν ἡ μεγάλη πόλις, καὶ οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι. *Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem, quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicens, ſic impetu mittetur Babylon illa magna civitas, & non invenietur amplius?* poſt *primum* ejus *caſum* ſurrexit *illa*; *vulnus* quidem *tum lethale* cepit, ſed *quale* in tempus ſanari videbatur; *quod* nunc capiet, morti *illam* protenus dabit, ut ſicut *molaris lapis in mare miſſus*, nunquam iterum emergat: *Quæ falx* immittetur Vineæ *acuta eſt*, nec *Botris* parcet; Quod calcandum eſt *Calcular*, eſt *Calcular iræ Dei*, *quæ* nolit ultra eludi; *quod* exprimet *illud calcular*, *verus ſanguis* eſt, exibitque ad *frænos equorum*, ἀπὸ σταδίων χιλίων ἑξακοσίων, *à ſtadiis mille ſexcentis*; adeò *campus totus* inficietur ſanguine:

82. Sive ſit ille campus *Babyloni* ipſi (quomodo & *Roma* ipſa audit *Petr.* 1. 5. v. 13.) conterminus, ſive idem cum eo *per Armageddon* (ubi βασιλεῖς τῆς οἰκουμένης ὅλης, *Reges totius habitabilis terræ*, ad prælium τῆς ἡμέρας τῆς μεγάλης τοῦ Θεοῦ παντοκράτορος, *diei illius magnæ Dei Omnipotentis congreganai junt*,) cap. 16. v. 16. denotato, non hîc ſtatuo; talem tamen eſſe, *qui*, ubicunque *prælium* illud futurum eſt, *ad tot ſtadia extendetur*, non eſt dubitandum;

83. Aſt quid ad *Reformationem* iſta? ſic fortaſſis iterum ſciſcitaberis, & ſciſcitanti Tibi reſpondebit, quem hîc explicamus, contextus.

84. Tolle ergo, *Otrokocſi*, & lege: cap. 14. v. 1. καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἀρνίον ἑστηκὸς ἐπὶ τὸ ὄρος Σιὼν καὶ μετ' αὐτοῦ ἑκατὸν τεσσαράκοντα τέσσαρες χιλιάδες, ἔχουσαι τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς αὐτοῦ γεγραμμένον ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν, &c. *Et vidi & ecce Agnus ſtans ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus & nomen patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis!*

85. *Quinam* autem erant illi *centum quadraginta quatuor millia*? *lege porro*, v. 4. οὗτοί εἰσιν οἱ μετὰ γυναικῶν οὐκ ἐμολύνθησαν· παρθένοι γάρ εἰσιν. οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκολουθοῦντες τῷ ἀρνίῳ· ὅπου ἐὰν ὑπάγῃ. οὗτοι ἠγοράσθησαν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων ἀπαρχὴ τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἀρνίῳ. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt; Hi ſunt, qui ſequuntur Agnum, quocunque ierit; Hi à Jeſu empti ſunt, ex hominibus, primitiæ Deo & Agno.*

86. *Tolle* autem iterum: cap. 7. v. 2, 3, 4. καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον ἀναβαίνοντα ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου, &c. *Et vidi alium Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſigillum Dei viventis; & clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt, nocere terræ, & mari, dicens, ne nocete*

terræ,

terræ, neque mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum; & audivi numerum signatorum, centum & quadraginta quatuor millia signati ex tribu filiorum Israel.

87. *Eosdem* esse *utrosque hos*, cùm *signatos*, tum *signandos*, *eandemque* esse *afflictionem*, hîc distinctè τὴν Θείψιν τὴν μεγάλην, *afflictionem illam magnam, dictam*, 14. illic per ὑπομονὴν ἁγίων, *patientiam Sanctorum* v. 12. *significatam, quam* utrique tolerare debuerant; (1.) qui *numerum utriusque cœtûs eundem*; viz. CXLIIII M. (2.) *puritatem, sanctitatemque utriusque* pariter *eandem*, coll. c. 14. v. 1. 4. 5. cum cap. 7. v. 13. 14. (3.) *tempusque, quo* sive *tolerant afflictionem*, sive *ab eâdem liberentur, idem*; (4.) *tempusque illud tum inire debere*, antequam *aperiretur sigillum septimum, tum & exire*, postquam *sub eodem sex tubæ* clanxissent; *septimaque saltem* clanctura esset, (sic enim se habet rerum narratarum ordo cap. 6. 7. 8. cum c. 12. coll.) quisquis rite considerabit, vix puto dubitabit.

88. Nec frustra est, quod apponitur Cap. 14. v. 4. ἀπαρχὴ τῷ Θεῷ καὶ τῷ ἀρνίῳ *primitiæ Deo, & agno, innumeri* sc. *illius cœtûs* cap. 7. v. 9. cap. 14. v. 6. *memorati*, tanquam *prodromi tantùm, obsides, arrhæque*: ad *quem* tam *innumerum cœtum* colligendum, *Messis* hæc, ac *Vindemia*, (quas *Tempori Reformationis* assignamus, nec *alii tempori* assignare possumus,) viam quàm felicissimè præparabunt.

89. Nec plus hic concedi cupio, quàm *de facto* contigisse *Reformationem*, quum, secundum quod supra cap. v. & vi. fusè explicatur, *Tuba sexta* clanxerat, adeóque *quæ* compleret omnia, *initura* esset *septima*;

90. Quòd verò quasi his *intermedia* ponitur *Reformatio*; quòd *diversæ* illius Epochæ *partes*, per *Messem*, ac *Vindemiam describuntur*; quid, sive ad *Antichristi* ipsius exitium, (quod vix concipi potest unico momento finiendum,) sive ad *Reformationem ipsam*, (*quæ* uti supra ex Zachar. 14. v. 7. ostenditur, non nisi *gradatim* procedere debuit,) accommodatius esse poterat?

91. *His autem datis, quæ* vix refellet quis adversarius, (idque ne propere nimis aggrediatur, consulat ultra, quæ de his habentur c. III. IV. v. VI.) non video, quid nunc valebit Argumentum tuum *Septimum & ultimum, à propheticis prædictionibus desumptum*; nisi inde fortè innotescere velis, sic concessum Tibi esse, (*de quo* tam solenniter gratias agis p. 140.) ut *ab iis*, quæ Tu *præjudicia* vocas, & *falsa Principia* interpretandi *Prophetias*, planè libereris, ut ne *prophetias* quidem omnino ullas, in posterum rite interpreteris; nec enim aliter *in universâ Scripturâ S. ne literulam quidem inveniri posse de illâ decantatâ Lutheri Reformatione* tam audacter affirmâsses, quum, si minùs aut *ipsius*, aut *Reformationis* nomen illic reperiatur, reperiri tamen *rem ipsam* quàm luculentissimè constat.

92. Sed quid ad *prophetias*, aut *argumenta* alia illum mitteremus, qui suis ipsius oculis ipse non satis fidit? Enimverò poterit quisquam inter *Reformatos* natus, interque *ipsos* enutritus, adeóque *Evangelii æterni* prædicationi assuetus, quisque ipse *Persecutionem* gravissimam adversus *Evangelium illud æternum, Reformatosque* indies ferventem *viderit*, fortassis & *aliquando senserit*? poterit quisquam, qui Universum Christianum Orbem inter *Pontificios, Reformatosque* quasi divisum, atque à tam parvis initiis, *Reformationem* primò *cœptam*, in tam *amplam messem* crevisse, atque, ut ut omni

malevolorum vi, atque injuriis impetitam, etiamnum crescere? *Non-reformatos* interim tanquam *uvas jam maturas* in *Torcular iræ Dei* quasi quotidie præcipites datos, *Vindemiamque*, quo sensu, eam jam nunc attigimus, *inchoatam* viderit, dubitare ultra, an *tot tantaque* unquam evenisse poterant, nihil *eorum prævidente*, aut *prædicente* Deo? Aut istis sic huc usque contingentibus, poterit qui *ista* viderit tam justa initia, tam certa *futurorum* sive *præsagia*, sive *pignora*, suspicari adhuc intercidere posse vel ἰῶτα ἓν ἢ μίαν κεραίαν *Iota unum vel unum apicem* Matth. c. 5. v. 18. *eorum omnium, quæ de Sanctissimo illius* ore processerint; aut quæ sic jam completa sunt nedum ex Sanctissimo *illius* ore processisse?

93. Nec enim alium quæro *Veritatis hujus tantæ meliorem interpretem*, quàm sis ipse, si *velis*; non potest aut Tibi, aut cuiquam alii ad reliqua deesse *clavis prophetica*, cui tot jam prædictorum referari compertum erit; nec non ei compertum esse, tot jam fuisse, qui quæ ex *tempore Reformationis* contigerunt, quæ de *facto* completa sunt, *quibúsque* contradici nequit, paulò ulteriùs expenderit.

94. Dictum ergo est Apocalyps. c. 17. 12. 13. *& decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges*, μίαν ὥραν, *unam horam, eodem tempore*, & in *idem tempus accipient cum bestiâ*: *Hi unum consilium habent, & Virtutem, ac potestatem suam bestiæ tradent*: *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum*, & *qui cum* illo, *vocati*, & *electi*, & *fideles* [sunt.]

95. Jam rogo Te, *Otrokocsi*, Cui *in Historicis* tam bene versato, non potest ignorari *tempus illud*, quo *Decem illi* Reges Regnum suum acceperunt; nec quicum [sc. *Bestiâ*] unà acceperunt: quum satis nota sit *illa Epocha*, (*ad annum fere* 455. *hanc* ponunt Chronologi,) cui hæc *unicè* conveniunt.

96. Rogo Te, si forte tempus rescisças, quando *horum aliqui Virtutem, & potestatem, quam* tum tradebant *Bestiæ, revocabant, resumebantque*? *futurum* enim istiusmodi tempus dicit Spiritus S. *v.* 16. *& decem cornua quæ vidisti & Bestia*, ὅτοι μισήσουσι τὴν πόρνην, *ipsi oderint Meretricem, & desolatam facient illam, & nudam facient illam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam concremabunt in igne.* v. 18. *nam Deus dedit in corda eorum*, ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ ποιῆσαι γνώμην μίαν, *facere sententiam, seu consilium suum, & facere sententiam, seu consilium unum*, & *dare regnum suum Bestiæ, donec consummentur Verba Dei.*

97. An verò *horum aliqui Virtutem & potestatem suam* revocàrunt adhuc unquam, resumpseruntque? hoc est, de quo non possum non cupere ab ipso Te certior fieri: *De facto* hoc contigisse nosti, & à *Reformationis* tempore contigisse; & *quid amplius* contingere debet, *prædixit idem* Spiritus S. sequenti capite *viz. Apocal.* 18. v. 2. his verbis: ἔπεσεν, ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη, *cecidit, cecidit Babylon magna.* Cujus fati ne particeps sit, exire *de illâ* jubebatur populus Dei: v. 4.

98. Immo verò integrum illud decimum octavum caput huc pertinet, sicque luculenter declarat, quæ *eventura* tum *erant*, aut *adhuc* sunt, ut *currens etiam legat* Habac. 2. v. 2. Nec ergo *partem ejus aliquam* transcribam, sed *integrum* Tibi commendatum velim; dumque *illud* legeris, revolve animo,

quæ

quæ proximè *apud eundem Habaccucum* habentur. כי עוד חזון למועד ויפח לקץ ולא יכזב אם יתמהמה חכה לו כי בא יבא לא יאחר: *quoniam adhuc visio in statutum tempus, sed loquetur in fine, & non mentietur; si moram fecerit, expecta eam, quoniam veniendo veniet, [certissimè veniet,] non tardabit.*

99. Si sit adhuc *aliqua ejus pars,* (de *prophetiâ* capite illo *editâ* loquor,) in *statutum tempus, loquetur* tamen, *non mentietur*; certò *eventura scias,* quæ illic habes *singula*; immò jam certissimè *nonnulla* evenerunt; si videantur tibi *reliqua* aliquantulùm *morari,* bono tamen sis animo, *expecta* cum fide, quoniam *veniendo venient*; suo quæque tempore gradatim complebuntur, לא יאחר non *posteriora* erunt, non *excurret priùs* Tempus *illis præstitutum,* quàm *optatum effectum* sortientur omnia.

100. Sortita sunt jam nunc *horum aliqua* suum effectum; *Regum aliqui,* quum *primùm* ἔπεσε, quum *primus* Babyloni *casus* evenit, quum primùm exire *ex illâ* cœpit populus Dei, (*tempore* putà *Reformationis,*) tum *oderunt Meretricem,* eamque *desolatam* facere, *ac nudam, carnesque ejus* (*reditibus, vectigalibusque* nonnullis *illi* tum *detractis,*) *manducare cœperunt.*

101. Atque nunc, ut *argumento tuo,* à propheticis prædictionibus desumpto, non, ut opinor, iterum urgendo, plenè respondeam; (1.) *fore hæc prædictum* erat; &, (2.) prout *prædictum* est, *evenerunt*; *evenerunt* autem (3.) *Reformationis tempore,* addo & (4) *Reformationis* ipsius fuisse *illa* partem, adeóque extra dubium relinqui, [a] *Reformationem Lutheri, & sociorum ejus prædictam à Spiritu Dei in scripturis sacris*: Iuque tandem, *Otrokoesi,* si queas, quod non dubitâsse Te dixeras p. 504. nunc *contra regeras*: [a] *p.* 503.

102. Et quoniam demùm exprobrans addideras, quantumcunque [b] *illuminatissimis, & limpidissimis Protestantes* quærant *oculis, in universâ Scripturâ S. ne literulam quidem invenient de illâ decantatâ Lutheri Reformatione, tanquam divinâ, sanctâ, & ad Ecclesiæ Christianæ renovationem suâpte naturâ accommodata*: resume etiam, si lubet, jam Tibi *illuminatissimos, limpidissimosve tuos oculos*; nec verò *illorum* nos aut *aciem,* aut *fascinum* veremur; immò potius, si *quid* adhuc *illis* videas, dissimula *utrumque*; nec enim sic in *causâ* hac *Tibi quicquam prodesse* poterit, ac Te *planè cæcum* fateri, quódque aliter non potes (*quæ* in *multis* tamen Tibi abunde suppetit,) *ignorantiâ* excusare omnia. [b] P. 504.

CAP. XV.

De locis quibusdam, [c] quæ causâ lucis, roborisque amplioris in libri tui scopum, celeber- [c] rimorum duorum SS. Patrum, contra Protestantium *(ut ais) Sectas, in medium at- [c] tulisti.*

1. QUÆ Capite nono, ex *Hieronymo,* & *Augustino* affers, quid huc faciunt, non satis video, nisi fortè ex tam *confusâ* citationum *congerie, insaniæ Tibi aliàs imputatæ,* excusationem aliqualem quæras, quòd

τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει, *multæ Te literæ ad insaniam convertunt*:

2. Nec enim certè *sanus* quis, ad *Hieronymum*, aut *Augustinum* confugisset, ut, *quas* vocat, *Protestantium sectas*, tot *post ipsos* seculis *natas* refelleret, nisi quem *sua* varia, & multiplex dementâsset *lectio*: sic nempe librorum *Heluonibus*, æquè ac *gulæ*, *ventrique deditis*, accidere potest, ut *quicquid* vorent, *stomachi vitio*, alendæ tantùm *bili*, *furorique* inserviat.

3. Sed quid est ergo quod *ex celeberrimis illis patribus*, (quorum Ille Anno D. 420. hic verò 430. ut observas migravit ad Dominum) inferri velis? viz. ‘ *Absque dubio, inquis*, *illos*, sc. *Protestantes* (nihil obstante ‘ luce illâ, quâ adeò gloriantur,) tanquam noxios admodum *Schismaticos*, ‘ imò quod amplius etiam, ut Hæreticos acriter, (more suo) damnaturi ‘ essent, quòd ita suis argutiis, & judicii præcipitantiâ, Ecclesiam Christi, ‘ deplorandum in modum, varias in partes dilacerârunt, & tam atrocissimis ‘ bellis Ecclesiasticis Orbem Christianum inundârunt.

4. Sed quid si *nolint Reverendi illi Patres*, quid si *nec possint illos*, tanquam *Schismaticos*, & *Hæreticos* damnare? quid si id ipsum quod objicis, *tota tota* calumnia sit? quid si, ‘ *Ecclesiam Christi* deplorandum in modum ‘ *varias in partes dilacerasse illos*, non queas omnino probare, nisi forte *Ex-* ‘ *iisse de Babylone*, *sit Ecclesiam dilacerâsse*? Quid si nec *atrocissimis*, aut ‘ *ullis bellis Ecclesiasticis Orbem Christianum inundâsse illos*, nisi *Pontificios omnes* expugnâsse, toties *fortissimos vestros Athletas* in fugam dedisse, toties *triumphantem* ostendisse *Veritatem*, pro *Bellis* istiusmodi habeatur?

5. Esto, quòd non in omnibus semper *inter Protestantes* convenit, an verò & in *omnibus* ubique convenit inter *Hieronymum ipsum & Augustinum*? Aut ergo statim, quia inter se dissentientes, *Schismaticos* & *Hæreticos* fuisse *Augustinum & Hieronymum* ex ipsorum scriptis evinces?

6. Vix puto, id dixeris; licet (ut videre est *Oper. August.* T. 2. Ep. 8. Ep. 9. Ep. 11. 13. 14. 15. 19) *Hæresin* (p. 51. 54.) sibi mutuò magis *illi* imputâsse videantur, quàm, quos Tu *hujus* insimulare velis, Protestantibus ipsis *illorum* scripta;

7. Quo nomine, non possum satis mirari Reverendâ *horum* Autoritate sic Te hic abusum, quum vix sic *sese lacessentes* Tu *Reformatores* quosvis ostenderis, ac *Hieronymum* Ego, & *Augustinum*; idque (in quo non est ut nimiùm triumphes,) non nisi *in causâ* [b] *Petri reprehensi*, à quo tamen *infallibilitatis* Prærogativam derivari sibi volunt, qui se *Petri successores* appellant, Romani Pontifices: Ut nihil hîc dicam de [c] *Russino* & *Hieronymo*, *acerbissimisque* inter ipsos *discordiis*, quas sic deploravit quidem [d] *Augustinus*, ut qui εἰρωνεύων tantùm gravius incesseret;

b *Augustin. T. 2. Ep. 2.*
c *August. T. 2. Ep. 15.*
d *Ep. 15.*

8. Id non est meum Patrum *pudenda* retegere; id tantùm videris Tu qui ad eam me compulisti Apologiam, quæ sine conjunctâ horum accusatione quadam fieri nequit.

9. De Petro quidem dicitur, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, ὑπέστειλε καὶ ἀφώρισεν ἑαυτὸν, *subduxit, & separavit* se; *de aliis*, *quòd* συνυπεκρίθησαν αὐτῷ, *Simul cum illo hypocritice egerunt*, v. 13. & v. 14. *deque illo ac cæteris*, ὅτι οὐκ ὀρθοποδοῦσι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου, *quòd non recto pede incesserunt ad Veritatem Evangelii*; *Dura quidem Verba*! & *quæ* certè Patres illos nec *invertisse*, nec eousque de

de *iis* altercatos esse decuerat, donec quicquid *illa* scandali impingunt *Petro*, ad se nimis *ipsi* transtulerint.

10. Quanquam est fateor, in *quo* ad *illos* poteras justissimè provocâsse, *Retractationum*, (*quas* Tibi *utiles fore* sperarem, & sine *quibus*, nescio an *boni* quid de *Temetipso* Túte adhuc speres,) *Authorem*, & *Exemplar* se Tibi dedisset *Augustinus*; *Romamque* illam, ubi jam frustra Asylum quæris, *Babylonem* esse, *illam ipsam Babylonem*, quam *eam* esse censent *Reformati*, *Romam* sc. in *Apocalypsi Joannis*, & in *Epistolâ* [1. c. 5. v. 13. ex quo uno Scripturæ loco, Petrum quoque *Romæ* unquam fuisse, inferri potest] *Petri* specialiter sic appellatam. *T.* 4. 152. atque iterum *purpuratam meretricem* ab ipso, (si forte id Hieronymi sit,) *T.* 6. 217. *nominatam* docuisset *Hieronymus*.

11. Et nunc gaude tandem, *Otrokocsi*, 'Validissimis *tuis Argumentis*, quæ * *p.* 580.
'ad Unionem cum Ecclesiâ Romano-Catholicâ colendam, habuisse Te,
'nemo, inquis, qui in timore Domini, maturoque & exercitato cum judicio
'librum hunc (tuum) perlegerit, ac subinde volverit, & intra se *ejus con-*
'*tenta* excusserit, inficiari poterit.

12. Librum tuum, *Otrokocsi*, perlegi, *nimiùm volvi*, *nimiùm* ejus *contenta* excussi; nec enim me sic capiunt aut *Argumenta*, aut *Stylus*, ut putem operæ pretium fuisse, quod pro Te feci; sed feci tamen, & rescripsi nonnulla; ex quibus sciens iis, & *Librum*, & *Authorem* non penitus ignorari; Et *quis sis*, & *quid*, & *quibus auxiliis*, & *cur scripseris*, satis jam videntur fere omnes intelligere:

13. Non Te sic *celat Tyrnavia*, nec sic *literis* abditum esse Te, velim, sentias, quin, *quo Consilio*, & *quibus Sociis*, & *quorum sub moderamine omnia tua* nunc prodeunt, nobis etiam ut ut toto *avulsis* Orbe *Britannis*, satis innotescat:

14. Sed nec *unitas* omnium *Vires*, *Studia*, *invidiam*, *malevolentiam*, & quicquid aliud inspirabit *Mendaciorum Pater Satanas*, vel minimùm verebimur, modò liceat ad *idem* nos recipere *Evangelium*, quo se *Lutherus*, *Sociique ejus* protelârunt:

15. Est nempe hæc illa παντοπλία Θεοῦ, *quæ* nunquam nos inermes destituet; defendet nos, *quam* nos defendimus, *Veritas*!

16. Nec putes hoc fidentius, quàm decet, dictum: adversus *Quem in prælium* prodimus, *Antichristus* est; quod *vexillis*, *scutisque* nostris inscribitur, *Verus sticteque Religiosas Dei cultus*; sub *quo* meremus, est ille *Jesus*, per cujus solius merita *remissio* peccatorum, & *vita æterna* est consequenda; *quo* * *gladio* utimur, est *ille* Spiritûs, *Verbum* sc. *illud Dei*, quo Christus * *Ephes.* 6.
ipse ferit gentes; (Apocal. 19. v. 15.) & *quibus Tu singulis* renunciasti. v. 17.

17. Non frustra (crede) *Vestimento ejus*, & *femori nomen* scribitur Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ κύριος κυρίων, *Rex Regum*, & *Dominus Dominorum*: Huic Tu, *Otrokocsi*, *bellum* indixisti; Dico iterum, & memor sis, (idem *Tibi*, nisi resipueris, dicendum erit in *Die illo* magno,) non *Protestantibus*, non *Reformatis*, non *gementibus tuis Hungaris*, *huic*, *huic uni* bellum indixisti, & (non *nostris hoc viribus* fisi profitemur; Renunciamus, Detestamur quicquid nostrum est,) מי הקשה אליו וישלם Quis induravit se *adversus eum*, & *pacem habuit*? Job. 9. v. 4.

CAP.

Cap. XVI.

Epilogus Epilogo repositus.

1. ET quam *Tu nunc pacem* habeas, dicat, quam vultus ipse satis prodit, animi anxietas; dicat, *quam* solicitus calcas & versas, *Bibliotheca*; dicant, *quas* Te ipsum nonnunquam jactare ferunt, *dubiæ* & *interruptæ voces*; sed dicat potiùs, *quæ* testibus mille *potior est*, *conscientia illa tua* (prout gloriaris) ‘*Illibata*, atque in hac causâ, *tranquilla*, quam Tu in ‘Epilogo tuo p. 589. dicis Arcem esse, quæ nullis verborum contumeliis, ‘nullis machinamentis, nullis scientiæ, & sapientiæ tormentis expugnabi‘tur; *& tum sic pergis*: si quis forte nimis audacter, & convitiosè regerat, ‘meram esse obdurationem cordis excæcati; quam Ego tranquillitatem Con‘scientiæ voco: Ego vicissim quæram ab eo, & à Vobis (Protestantes affa‘tus,) qui cum tali Calumniatore consentiretis; Quo Argumento, quove ‘judicio vel minimo potestis convincere, cæcam cordis Obdurationem vel ‘Obstinationem meram esse, quam Ego in me voco tranquillitatem Con‘scientiæ? An Vos videtis interiora Conscientiæ meæ, vel an saltem pro‘ducetis externa aliqua indicia, quibus cor meum excæcatum, meque ob‘duratum, & à Deo (ut Calumnia talis supponit,) derelictum ostendatis?

2. Sed dicat ergo hæc tua conscientia, an Tu jam *pacem* habeas? si pacem habeas, cur tam Tibi ipsi molestus es? cur solicitas omnes, ut *pacem* Te hanc habere, velint & *ipsi* credere? Cur tam vereris, aut Tibi potius affingis tot contumelias? Cur sic excusas, quod profiteris Te non excusandum putare? Mihi quidem nescio quid criminis apportat hæc purgatio: Si tam *tranquilla* sit *Conscientia tua*, cur Te noctes, diesque crucias metu, ne quis, præter Te, non sentiat *talem* esse? Quàm est hæc animi debilitati, & humilis, & fracti timiditas? Quàm est *fatentis* non esse sibi *tranquillum animum*, sic *omnia*, sic etiam, quod quasi *nihil* est, reformidare?

3. Hac Te p. 589. inquis, *priùs munieras* p. 54, 55. iisdem fere verbis *illic* usus sc. ‘Quicquid mundus contra me evomat, nunquam expugnabit ‘arcem illibatæ Conscientiæ meæ, quæ in Domino, hac in causâ, tuta, secura, ‘& tranquilla requiescit. Non evasit ea ex bonâ deterior, sed potiùs per ‘gratiam divinam perfectior est reddita; utpote à tot præjudiciis me irreti‘entibus, & à pace, ac Unitate Catholicæ Ecclesiæ acceptandâ, immò vel ‘cogitandâ impedientibus, & deterrentibus, liberata.

4. Io Triumphe! Reclamaverat priùs sc. *tenera*, atque *infirma Conscientia minutulis istis*, (& tibi nunc planè *nullis*,) Erroribus de [a] *Antichristo magno*, *de cultu Dei strictè Religioso*, *de Christi solius meritis*, *de Scripturâ S* Próque *his*, *pusillanimus* tum, *imbecillis*, & *nescius veræ viæ pacis*, nec dum satis prudens *Christi miles*, tot laboribus, periculisque frustra Te exposuisti; Nunc verò *tutus*, *securus*, *tranquillus*, ac undiquaque *Cataphractus*, nihil usquam reformidas!

[a] P. 31, 32.

5. ‘Obstiterunt priùs *præjudicia*, quæ à *pace*, *ac Unitate Ecclesiæ acceptandâ* ‘immò

'immò vel *cogitandâ* impedierunt, & detinuerunt:' An verò Vis ergo *pacem & Unitatem Ecclesiæ Catholicæ* in eo consistere, ut *Errores istos* unanimiter *illa amplectatur, defendatque*?

6. Amandandus certè tum erit vel *ille ipse Articulus Fdei, credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, vel *reliqui* simul *omnes* è *censu* Symboli protenus ejiciendi; nec enim vel *Deum ipsum colendum, adoranaumque*, vel *Jesum Christum* Dominum nostrum, &c. vel *Spiritum Sanctum*, vel *Sanctorum Communionem*, vel *Remissionem peccatorum, Resurrectionem carnis*, vel *vitam æternam*, credere oportebit, *pace & unitate* Ecclesiæ sic intellectâ; quippe *quorum* plurimi *ipso facto* statim, *reliqui* verò *omnes* necessariâ rerum consequentiâ exterminabuntur.

7. Et jam cum *illibatâ tuâ conscientiâ*, hac in causâ sc. *tutâ, securâ, tranquillâ*, abeas dicam, in pacem? Proh mortalium miserrimum! proh in ipsâ (uti Apostolus loquitur,) ἐξουσίᾳ τ Σατανᾶ, Act. 26. v. 14. *potestate Satanæ*, illi quasi jure quodam mancipatum! proh! (nihil nuditatem tuam celantibus, quæ *muniendo* Tibi, siculnea assuisti, foliis,) inter eos, ἐν οἷς ὁ Θεὸς τ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα, Cor. 2. c. 4. v. 4. *in quibus Deus seculi hujus excæcavit mentes*, εἰς τὸ μὴ αὐγάσαι αὐτοῖς φωτισμὸν τ εὐαγγελίου τ δόξης τ Χριστοῦ, *ut non splenderet eis Illuminatio Evangelii gloriæ Christi*, annumerandum! proh *inter eos*, quibus dixit Deus, אין שלום *non est pax*, Isaiæ 48. v. 22. *adhuc*, (utinam nec verendum esset, & *semper*) reperiendum!

8. Nolim quidem hoc dicere, nec tamen possum non hoc dicere, nisi *me dicentem*, quæ Simoni dixit Petrus *Actor.* c. 8. v. 22, 23. lenis, humilisque audieris, sc. μετανόησον οὖν ἀπὸ τ κακίας σου ταύτης, κ δεήθητι τ Θεοῦ, εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τ καρδίας σου. εἰς γὰ χολὴν πικρίας, κ συνδεσμὸν ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα. *Pœniteat Te nequitiæ* [malitiæ] *tuæ hujus, & precare Deum, si forte remittatur Tibi cogitatio cordis tui, in Felle enim Amaritudinis, & Vinculis iniquitatis existentem Te video.*

9. *Pœniteat, pœniteat*, inquam, si *forte*; non *ita facilis* est, quam speres, *venia*; sed *si forte* saltem remittatur *Tibi cordis tui* tam *vafri, obduratique* usque adhuc *cogitatio*; sentias, & sentiens contremiscas, quid sit esse in *Felle Amaritudinis*, quid *vinculis iniquitatis* sic teneri, ut, quò velit *Diabolus*, ad *voluntatem illius, captivus abducaris*: Tim. Epist. 2. c. 2. v. 26.

10. Nec enim (quantum quantum *illibatæ tuæ conscientiæ arcem* crepas, quantum quantum *pacis, & Unitatis inane nomen* ostentas,) 'Velim tam 'securè ad Dei judicium provoces, illumque testem advoces, ut judicet, an 'Tu, qui inde ab annis discretionis, bonâ semper cum conscientiâ servire 'Deo, ac veritatem ab adolescentiâ ardenti cum studio magis, ac magis in-'venire, *Satanamque* cum mundo, & carne, inter tot ejus insultus, tandem 'devincere, ac penitus debellare per gratiam cœlestem, (quâ mensura gra-'tiæ Tibi aderat) magnopere allaborâsti; nunc adeò jam mutatus sis in 'deterius, ad eamque insaniam reductus, ut conscientiâ bonâ expulsâ, circa 'fidem turpiter errare, & naufragium ultrò facere præsumeres? p. 54, 55.

11. Nolim, inquam, *tam securè ad illum provoces*, qui *videt omnia, cogitationes etiam Hominis* [illegible], *quum procul absint, qui semitam tuam & accubitum tuum ventilat, & omnibus viis tuis assuetus est*, Psal. 39. v. 2, 3. ne forte *inventus sis mendax*.

12. 'Potes

12. ‘ Potes quidem à nobis (uti supra dixeras,) quærere, quo argumento, quove judicio possumus convincere cœcam Cordis obdurationem vel ‘ obstinationem meram esse, quam in Te vocas tranquillitatem animæ; an ‘ videamus nos interiora Conscientiæ tuæ, vel an saltem producemus externa aliqua indicia, quibus cor tuum excœcatum, Teque obduratum, & ‘ à Deo derelictum ostendemus ’: sed tamen cave sis, ne id *quæras à Deo*, cave, ne quando omniscius illius oculus Te, tuaque perspexerit, quum Tu vix Tibi bene notus fueras; cave, ne fortè tuos ille errores, meatus, anfractusque viderit, quum Tu velis Ipsum Te non vidisse; cave, ne fuerit unquam illud tempus, quum qualis, qualis apud homines, apud ipsum tamen non ita *sanus* visus sis.

13. Nolim *Tibi Te* nimis prodere; at cave tamen, ne tum etiam, quum non cupias *nosse Te*, (an sint aliqua *nunc* istiusmodi momenta, ex Te optimè quæres,) viderit ille, perlustraverit, noverit omnia?

14. Quanquam tamen & sunt ‘ externa aliqua indicia, quibus cor tuum ‘ excœcatum, Teque obduratum, & à Deo nimis derelictum ostendere possemus.

15. Est hic *ipse liber*, *quem* inscribis *Examen Reformationis*, multiplex indicium; Est, quâ *Verbum Dei*, quâ *merita Christi*, quâ *divinum cultum*, deprimis, pervertis, eludis; quâ *bonos viros*, quâ *sancta omnia* vituperas, *maledica*, *profana*, *blasphema lingua*; Est Superstitionis & Idololatriæ defensio, cordis excœcati, obdurati, atque à Deo nimis derelicti aperta quasi recognitio:

16. Nec succensere debes, si *Christiani nominis* vel *honoris* etiam minimùm æmuli, *tot*, *tantaque utriusque opprobria*, tot *enormia Religionis Christianæ scandala*, tot *Deo ipsi*, *Christoque contumelias oblatas*, tot *Spiritui S.* quasi per *internam vocem* Tibi dictanti omnia, *Blasphemias afflictas*, tot acerba in *optimos quosque* dicteria, tot lacessendi, jurgandi, maledicendique occasiones undecunque conquisitas, atque ista omnia sub *examinis justi*, *modesti*, *pacifici*, *animæque in salutem necessarii* titulo ac specie, (sic tractatum hunc tuum non es veritus appellare,) non possumus non (obtuso, nimis & planè non *Christiano* pectore esemus, si ista non, ut par est, persentiscremus,) aliquantùm saltem graviter ferre, ac dedignari:

17. Nec tamen sic nos totos à Te abalienant etiam *ista*, ut *Christianæ Charitatis*, (cujus tamen Tu larvam tantùm & simulachrum Protestantibus concedis p. 47.) obliti, non votis quoque ardentissimis, precibusque misericordi Deo animitus fusis reditum tuum (si sic ipsi adhuc visum sit,) efflagitemus:

18. Nota sunt *Deo* consilia sua, & quare Te sic *Satanæ* tradi permiserit, *solus* ipse optimè novit; potest quidem efficere, & vult ille, ut etiam hæc tua Apostasia sibi in honorem gloriamque cedat: Utinam esset ad illius gloriam, ut *ad* Te, ad *sanum animum*, Religionemque sanctissimam Tu tandem redires!

19. Revocavit Ille *prodigum filium*, revocavit Ille Magdalenam, ex quâ b *Luc.* 8. 2. Δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει, b *septem Dæmones exierunt*; *Petrum* negantem se, c *Matth.* 26. 70. 72. 74. jurantem, execrantem c revocavit idem *Servator*, quem & Tu negâsti; revocavit ille *Saulum*, jam tum, quum *minas* & *cædem* unicè spiraret: *Act.* 9. 1.

20. Et

20. Et ut loquitur Apostolus ad *Corinth.* 1. c. 10. v. 11. ταῦτα δὲ πάντα ἐγράφη πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν. εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν, *Hæc autem omnia scripta sunt, ad admonitionem nostram, ad quos fines seculorum devenerunt*: Voluit Ille *hæc* esse *in Exempla & monumenta misericordiæ suæ*; utinam tam feliciter succederet Apostasia tua; utinam Tibi etiam *admonitioni essent*, quæ in Te accidere passus est *sapientissimus Deus*.

21. Liceat iisdem verbis iterum Te affari, quibus operis hujus Caput primum inchoavi; ut det Tibi, [a] ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας καὶ ἀνανήψῃς ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος, ἐζωγρημένος ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, *Deus pœnitentiam ad agnitionem Veritatis, & ad sobriam mentem rediens recuperes Te è Diaboli laqueo, captivus ductus ad Voluntatem ejus*, a *Tim. c. 2. v. 25. 26.*

22. Ἀνάνηφε, ἀνάνηφε, Sobrio olim animo fuisse videbaris, eundem, (si fortè Deus Tibi pœnitentiam dederit ad agnitionem Veritatis,) nullius non operis pretium esse cogita, ut recuperes: Nondum à *carceribus*, & *Triremibus* liber es, si Te captivum adhuc teneat Diabolus, suisque (O durissimam mancipii abjectissimi servitutem?) plusquam ferreis catenis constringat!

23. Puta quid sit *ad illius Voluntatem* ἐζωγρημένον esse? *quibus* Visis, quâ fictâ imagine, quâ falsâ luce, quâ ecstasi, quo instinctu insolito, quibus cujuscunque generis deliriis velit *iste*, huc illuc agi, impelli, circumduci! Iterum, iterum, (sic loqui liceat,) ad *Triremes* Te accinge, *velis*, *remisque* omnibus contende, ut *Piratam* hunc, subdolum, crudelem, efferum, furentem, ubique insidiantem, ubique vim & exitium omne inferre paratum effugias; Laqueus est, laqueus, quem non vides; non satis adhuc caves, quem tendit Tibi, qui se transformare novit in Angelum Lucis, *Cor.* 2. 11. 14. τὰ νοήματα, *machinationes*, *astutias*, *operationem omnem versutæ ejus mentis non ignoramus*, *Cor.* 2. 2. 11. μεθοδείας habet, quibus cingit, circumdat, circumvenit minùs cautos, *Ephes.* 6. 11. Utinam placeret tandem Deo, misericordi Patri; Utinam Christo, Spirituiq, Sancto allubesceret, errantem, vagum, seductumque, (qualem, quum Palinodiam caneres in commentario in *Psalm.* 119. v. ult. *ipse* Te professus sis,) ad sese revocare: Sola illa gratia tot modis à Te spreta, contempta, repudiata efficere potest, ut ad Te redeas: puta me lætum illius nuncium ad Te hodie mitti, puta me eodem *zelo*, eâdem *vehementiâ*, *vocisque* & *animi* contentione fugientem Te inclamare, quibus *famosum illum juvenem*, tanquam *depositum quoddam* Ephesi Episcopo à se *traditum*, (sed *quem*, quod *sceleribus*, atque *flagitiis* dediderat se, *mortuum esse* retulerat Episcopus,) revocare fertur *Joannes Evangelista*; [b] τί με φούγεις τὸν γέροντα, τὸν σαυτοῦ πατέρα, τέκνον, τὸν γυμνόν τε καὶ ἄοπλον; μὴ φόβου ὑπέστω. ἔτι σοι ζωῆς ἐλπὶς ἔνεστιν. ἐγὼ τὸν ὑπὲρ σοῦ λόγον δώσω χριστῷ· εἰ δέοι δὲ, καὶ αὐτὴν ψυχὴν ὑπὲρ τοῦ σῆς προήσομαι τάχιστα. στῆθι, καὶ πίστευε, ὡς χριστός με ἀπέστειλε. *Quid me fugis senem, patrem tuum, fili, nudum & inermem? ne timor subsit, Adhuc Tibi restat vitæ spes: Ego pro Te Christo rationem reddam: Si opus sit, etiam animam ipsam pro tuâ protenus oppignerabo. Sta, & crede, quòd Christus me misit*: Non sic, spero, *mortuus es*, quin *reviviscere* etiamnum potes; non *eò desperationis* perventum est, quin *Te suscitare* valeat *pœnitentia*; Etiam *animam meam* pro *tuâ* oppignero, *tutam*, *salvamque illam* fore, modò *hanc seriò*, & *syncerè* adhibere non graveris: dignare, *quod* tibi *pignus* affero; στῆθι, *consiste*, *cessa* ulterius *â fide*, & *veritate* divagari; meque à *Christo*, *leni*, ac *facili* jam, b *Niceph. Callist. Ecclesiast. Hist. l. 2. p. 197.*

sed (aures, animumque si nunc obtures,) *inexorabili* olim *futuro, judice legatum* crede: Illius nomine *Confessorem Te*, ac *pene Martyrem* affari adhuc cupio; memor esto, *unde excideris*, & *resipisce*, & *prima opera fac*: Apocalyps. 2. v. 5.

24. Et quò *Tua* Tibi nunc reponam *argumenta*:

c P. 512. 583. [c] Per *tremendum Christi justissimi Judicis* tribunal obsecro, obtestorque,

d P. 591. [d] Per *tuam ipsam Conscientiam*,

e P. 595. [e] Per *sanctam Scripturam*,

f P. 597. [f] Per *Unitatem fidei*,

Per *quicquid justum* & *æquum est*,

g P. 599. [g] Per *Charitatem Christianam*; ut tandem cesses διδόναι τόπον τῷ διαβόλῳ, *dare locum Diabolo*:

25. Quippe *Diaboli* unius *causa* est, *quam* suscipis; *Diaboli* unius *Vox illa*, quam præ Te fers, *interna*; non potest *Deus*, quod supra dictum est, p. 14. tam *absurda*, *impia*, *blasphema* inspirare; nec præter *Diabolum*, Dei, hominisque (ut jam ex significatione illius nominis observatum est ex *Suidâ*,) *calumniatorem*, *Spiritui* eadem affingere: *Diaboli unius* est insinuare, (fecit id quum Dominum nostrum tentaret *Matth* 4. v. 9.) *cultum Religiosum alii alicui* præstandum, quàm *soli Deo*: *Diaboli unius* est [h] *Petrum* expetere σανιάσαι ut *cribret*, *excutiatque*; *Expetiit* Te, *cribravitque*, Oh si *Tibi* dici queat, ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περί σου ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου, *Ego autem rogavi pro Te, ut non deficiat fides tua*: *pro suis omnibus rogavit Christus*; Oh si *Te* ex *iis* esse asseras, pro *quibus* ille *preces efficaces patri* fuderit: dignum est hoc certè *Votis tuis etiam ardentissimis*, dignum, quod *nullo* non *labore*, *nullis non lachrymis*, *nullo* non veræ pœnitentiæ genere, ac gradu demereri coneris.

h Luc. 22. v. 31.

26. Per *tuam ipsam Conscientiam* Te rogo, utinam non sic esset illa κεκαυτηριασμένη, cauterio inusta, ut *quibus* Te *aliis stigmatibus* illa exposuit, non *satis ipsa persentisceret*! sed *per tuam conscientiam* rogo, *quæ*, quàm vereri debet, ne sit *ille ipse ignis*, qni *Te* aliàs semper inuret, *nunquam extinguendus*! Ille *ipse vermis*, *qui Te*, *seque* æternùm *corrodet*, *exedetque*! per tuam *ipsam conscientiam* Te rogo, ut nolis *illi regulæ illius* cognitionem interdicere, *per quam* in ultimo die *judicanda* erit: *Scripturam* volo *sacram*, *quæ*, (*quibus* Tu jam aurem accommodâsse videris,) *prohibet*, & *damnat omnia*: Nec enim, quocunque modo id jam celare quæris, vel *articulus* fere *unus*, *punctumve unicum* est, *de quo* inter se *Protestantes* ac *Pontificii* dissentiunt, in *quo*, non *scripto* Dei *verbo* renunciant *Pontificii*.

27. Et quidem *dicas*, quoniam ea fore *prædictum est*, quoniam & *ea jam fuisse*, vix est dubitandum; *dicas*, inquam, *Cui*, præterquam *Romanæ Ecclesiæ* conveniunt *ista*, *viz. Tim* 1. 4. 1. *Spiritus enim* ῥητῶς λέγει, *disertè*, *expressè dixit*, (*nec potest non evenire*, *quicquid sic Ille dixerit*,) ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως προσέχοντες πνεύμασι πλάνης, καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἃ ὁ Θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν μετὰ εὐχαριστίας τοῖς πιστοῖς καὶ ἐπεγνωκόσι τὴν ἀλήθειαν, *in novissimis temporibus desciscent quidam à fide*, *attendentes spiritibus erroris*, & *doctrinis dæmoniorum*, *in hypocrisi falsa loquentium*, *habentium conscientiam suam Cauterio inustam*; *prohibentium nubere*, *abstinere à cibis*, *quos Deus creavit*, *ut sumerentur cum gratiarum actione*, *à Fidelibus* & *cognoscentibus veritatem*.

28. Aut

28. Aut si fortè non satis *ista ex se manifesta* sint, nec *ecclesiam* vacet reperire, in *quâ* ista sanciuntur, (quoniam in *re Apocalypticâ* versatum Te fuisse profiteris,) recognosce, quæso, *contextûs illius Expositionem Medanam*, p. 623 &c. satis, puto, inde patebit ad *Romanam* omnia esse referenda.

29. Quin *dicas* iterum, *in quâ Ecclesiâ* reperiuntur *ista*, quæ dicuntur ad *Thessal.* 2. 2. 3. &c. *de Apostasiâ, revelandoque homine peccati*, qui dicitur ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα, &c. *Ille oppositus, & attollens se super omnem dictum Deum & Numen, ut in Templo Dei tanquam Deus sedeat, ostendens seipsum, quòd sit Deus*!

30. Et dicas porro, (*Spiritus ipse* & ista satis ἔνδοξος explicat,) *quæ sit* γυνὴ καθημένη ἐπὶ θηρίον κόκκινον, γέμον ὀνομάτων βλασφημίας, ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ, καὶ κέρατα δέκα, *mulier sedens super Bestiam coccinneam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem & cornua decem*, καὶ ἡ γυνὴ ἦν περιβεβλημένη πορφύραν καὶ κόκκινον καὶ χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ καὶ μαργαρίταις, *mulier circumamicta erat purpurâ, & coccino inaurata auro, & lapide pretioso & margaritis, habens aureum poculum in manu suâ, plenum abominationibus, & immunda fornificationis suæ*; *& in fronte ejus nomen scriptum*, μυστήριον Βαβυλὼν ἡ μεγάλη ἡ μήτηρ τῶν πόρνων καὶ τῶν βδελυγμάτων τῆς γῆς, *Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ*: Apocalyps. 17. 3. 4. 5. *Spiritus, inquam, sanctus satis* ἔνδοξος, *ista explicat* Capite eodem v. 18. καὶ ἡ γυνὴ ἣν εἶδες, ἔστιν ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἣ ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *mulier quam vidisti, est civitas magna, habens regnum super Reges Terræ.*

31. Dicas, *quæ Ecclesia tot ritus habet superstitiosos, ceremoniasque*, Coll. 2. 23. λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, *tot quidem rationem* [& speciem] *sapientiæ habentia in voluntario cultu* (*suæ* quidem, non *Dei Voluntati* conformna) *Superstitione*, & *Humilitate*, & *non parcendo corpore*, non *in honore aliquo* (*nullo in pretio, nullo justo honore* habenda) *ad satietatem corporis*!

32. Quæ *Ecclesia* sic *seducit* homines ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων *in humilitate & cultu Angelorum*?

33. *Quæ Ecclesia* sic bellum gerit cum *semine* mulieris, & *cum custodientibus mandata Dei, & habentibus testimonium Jesu*, Apocal. c. 12. v. 17. Quæ *Ecclesia* sic docet ut *Draco*, sic ut *Draco*, quæ docet, defendit?

34. Quòd si *ista omnia* fore prædictum sit; si fuisse *quoque ista* vix sit dubitandum; nec dubitandum etiam, *an alibi*, quàm in *Ecclesiâ Romanâ* evenerunt *ista*; quum *nulla* sit, *quæ* sic ut *illa, Spiritibus erroris, doctrinis, cultuique dæmoniorum* sese dedidit unquam; *nulla* sic ut *illa prohibuit nubere, & abstinere à cibis*, quos *Deus creavit, ut sumerentur cum gratiarum actione à fidelibus & cognoscentibus veritatem*; Non *ut fidelibus & cognoscentibus veritatem*, veris sc. Christianis distinctus quidam Character, & Symbolum *ista* essent: *Nulla* sit, quæ sic ut illa *opposuit, & extulit se supra omnem dictum Deum & numen, ita ut in Templo Dei, tanquam Deus sedens, ostendat se, quòd sit Deus*: Quid sic *hoc* ostendit, ac *illæ ipsæ indulgentiæ* [unde controversiæ Lutheranæ prima origo,] jusque *remittendi* peccata tam sacrilegè usurpatum? *Nulla* sit, *quæ* sic se *sanguine Martyrum purpuratam* dederit; *Nulla, quæ* sic alios abominationibus suis *inebriaverit*, sic *iisdem ditaverit* sese: *Nulla, quæ* sic *immunda fornicationis* suæ ubique prodiderit; *Nulla,*

quæ tot ritus *superstitiosos, ceremoniasq; voluntarias* Cultui divino immiscuerit: *Nulla*, quæ tot *vanos fictæ humiliatis prætextus*, tot *austera* corporis *exercitia* induxerit, specie quidem *sapientiæ*, sed reverà tamen, non nisi ad *satietatem* corporis; ut habeant cùm *ipsi, qui* ista imposuerunt, unde *suas* expleant *libidines*, tum *illi, qui* sic corpora sua subigere visi sunt, unde magis *liberè*, & *licentiosè cupiditatibus* suis satisfaciant: *Nulla* demum sit, *quæ*, quò ista omnia defendat, tam *crudelis, effera, immanis, barbara*, (verbo omnia!) ubi ubi *antichristiana* fuerit: *Quid tandem*, (præcipuè quum, quàm sit hæc *ruinæ proxima*, quàm *casus ejus* ultimus jam appropinquat, supra demonstratum sit,) Ego Te, vel *Tu Te* potius *exoratum* haberes, nisi ut exeas, exeas ocius ex *Tali Babylone*, nec velis *ejus* obrui *ruinis*?

35. Et verò cur non post tam *egregia fragilitatis humanæ documenta*, quàm in Te expertus nimium sis; post *Dominum* toties *negatum*, *Te* (meliùs cederet *illi ipsi, qui* se *Petrum* esse præ se fert, si vocem eandem audiret, resipiscerétque,) *moneri* tandem permitteres? *respiceret forsitan*, si ad *veram* Te *pœnitentiam* accingeres, *idem* Te, qui ad *Galli cantum* respexit *Petrum*:

36. Satis jam satis *cribravit Te Satanas*, noli totus in *paleam abire*; ne fortè ἄσβεστον πῦρ, *Matth.* 3. 12. non *purgatorii*, sed *qui* nolit *extingui* Te maneat ignis; adhuc Tibi [i] *tritici* metaphora inserviat; puta *quam sementem* Christo facere adhuc posses, si misericordiæ, gratiæque Te idoneum reddas? quam *illi*, Tibique *messem*?

i *Luc.* 22. 31.

37. Puta, quid prodigo redeunti à Patre misericordi dictum est, *Luc.* c. 15. v. 24. Et fac Tu, *Otrokocsi* quod *prodigus* fecit; *pudeat, pœniteatque*, quod *contra cœlum & ipsum peccâsti*, v. 21. ut Tibi *idem* dicatur, v. 24. ὅτι οὗτος ὁ υἱός μου νεκρὸς ἦν καὶ ἀνέζησεν, καὶ ἀπολωλὼς ἦν καὶ εὑρέθη, *Ecce hic filius meus mortuus erat, & revixit, perditus erat, & inventus est.*

38. Inserviet Tibi hîc, quo *Palinodiam* priùs canens nimiùm, vereor, abusus es, proprio suo sensui restituendus ille contextus, *Psalm.* 119. v. ult. תעיתי כשה אבד בקש עבדך כי מצותיך לא שכחתי *Erravi sicut ovis perdita, quære servum tuum, quia mandatorum tuorum non sum oblitus.*

39. Det, qui solus potest, *misericordiarum Pater*, ut *hîc revivíscas*; det ut *hîc sis inventus*, ne *Te* postea, *à quâ* non tum erit resurgendum, *æterna mors, æterna* inveniat *perditio*.

Soli sapienti Deo sit Laus, & Gloria, *Amen.*

Tractatus MSS. qui Anno 1120. quorundam Fidelium nomine emissus est, De Antichristo, verba hæc in fronte præferens, viz. *Sicut fumus præcedit ignem, Victoriam pugna, sic & gloriam Christi tentatio Antichristi.*

Quis est Antichristus.

Antichristus est æternæ Damnationis falsitas specie Veritatis, & Justitiæ Christi ac sponsæ ejus celata, viæ Veritatis, Justitiæ, Fidei, Spei, Charitatis, vitæ probæ, & veritati Ecclesiæ ministeriali contraria, per falsos Apostolos administrata, & pertinaciter defensa; vel *Antichristus* est *Fraus ipsa*, quæ salutis æternæ Veritatem obscurat, quâ Religionis essentiam, & Ministerium spectat: vel est *fraudulenta Christi & Sponsæ ejus*, & cujusque *illius* membri *contradictio*: adeóque non est *particularis aliqua persona* in gradu aliquo, Officio, aut Ministerio *aliquo* constituta; sed est *ipsa falsitas*, prout *Veritati* opposita, quæ se tegit, ornatque pulchritudine, & pietate, ab Ecclesiâ Christi alienâ, sub certis nominibus, Officiis, Scripturis & Sacramentis, aliisque plurimis rebus: *Quæ iniquitas* sic accumulata, cum ministris suis magnis, parvisque, cæterisque quibuscunque, qui ex corde improbo, & cœco illos sequuntur, *talis congregatio est*, quæ simul sumpta appellatur *Antichristus*, vel *Babylon*, vel *quarta Bestia*, vel *meretrix*, vel *homo peccati*, *Filius perditionis*.

Illius nomina.

Ministri ejus appellantur *falsi prophetæ*, *mendaces*, *ministri tenebrarum*, *spiritus erroris*, *Meretrix Apocalyptica*, *Mater Fornicationum*, *nubes sine aquâ*, *Arbores Autumnales bis mortuæ*, *eradicatæ*, *aquæ sævientis Maris*, *Stellæ erraticæ*, *Balaamitæ*, & *Ægyptii*.

Cur Antichristus dicitur.

Antichristus dicitur, quoniam velatus, ornatusque *Christi Ecclesiæque* ejus ac *fidelium ejus membrorum habitu* saluti per Christum acquisitæ, intraque Ecclesiam exhibitæ opponit se; Cujus, sicut per Fidem, Spem, & Charitatem participes sunt fideles, ita eandem per mundanam Sapientiam, falsam Religionem, fictam bonitatem, spiritualem (quam vendicat,) potentiam, Tyrannidem Secularem, Opes, Honores, Dignitates, luxum, mundique illebras iste oppugnat:

Quomodo sit manifestus.

Unde cuivis manifestum est, non posse venire *Antichristum*, nisi ubi ad Hypocrisin, falsitatemque complendam, quæ supra dicta sunt, simul omnia conspirent, i. e. ubi *Sapientes hujus seculi*, *Religiosi*, *Pharisæi*, *Ministri*, *Doctores*, *potestas secularis*, cum populo hujus mundi unà consentiant; ita ut junctim omnes perfectum hominem peccati & erroris constituant. Quamvis enim jam Apostolorum temporibus *conceptus* fuerat *Antichristus*, quoniam verò *hæc* erat quasi ipsius *infantia*, intern s, externisq; membris destitutus adhuc erat; atque in quantum eum tum nôrunt Homines, eum pessundederunt & communione interdixerunt, adeóq; tanquam rudis, & informis obmutuit. Necdum enim *ratione* & *judicio* pollebat: nondum *mendaces suos Ministros* habuit; deerant etiam *traditiones humanæ*, & *Religiosi Ordines*: Et quamvis in *errorem* & *peccatum* inciderat, non habuit tamen *quo erroris*, *peccatique turpitudinem & dedecus* velaret, *opibus*, & *donationibus*, quibus ad *se Ministros aliquos* allicceret, adhuc vacuus; nec quo suos *augere*, *servare*, ac *defendere* poterat, *ipsi* suppetebat. *Potentia* enim, & *seculare* brachium illi deerant; nec quò à *veritate* ad *falsitatem* quis transiret, *vi cogere* poterat. Et quoniam *multæ res illi* sic desiderabantur, *dolis suis* nec *corrumpere* quemquam, nec

nec *offendere* valebat; adeóque quasi *tenerioris* adhuc, & *debilis ætatulæ*, locum *in Ecclesiâ* obtinere non potuit: In *membris autem* suis, i. e. *cœcis suis Ministris* & *Hypocritis* hujus mundi, ad maturitatem tum pervenerat, i. e. ex quo *Mundi* hujus amici, tum *Spirituales*, tum *temporales*, *fide cœci*, potentiores facti, numeris suis implêrunt Ecclesiam, *impiique* quum essent, ambitum & Honorem in Spiritualibus affectarunt, quo *fastum*, *malevolentiam*, & *peccata* tegerent, *sapientum hujus seculi*, & *Pharisæorum* operâ ad hoc utebantur. Est autem hæc *summa impietas*, *impietatem*, *quam* excommunicari par est, adornare; eoque modo, quod est unius *Dei*, *Mediatorisque Jesu Christi*, nec *cuivis mortalium* attribuendum, *sibi* ascribere; deum spoliare, atque *vi* ac *dolo* ad se, aut *sua opera* transferre, maximum esse videtur *sacrilegium*: qualia sunt, potestas *regenerandi homines*, *peccata remittendi*, dandi *Spiritûs S. gratias*, *Christum faciendi*, ac *ejusmodi*, *quæ* sibi *isti* arrogant, interim *Autoritatis prætextu*, & *verbi divini formâ* velantes se, *rudemque*, *ac mundanum populum*, *in iis*, quæ *mundana sunt*, à *Deo*, ac *fide verâ*, *Spiritûsque S. Reformatione* hoc pacto separantes, à *verâ pœnitentiâ*, *bonis operibus*, & *perseverantiâ in gratiâ eos* abstrahunt, atque à *Charitate*, *patientiâ*, *paupertate*, *humilitate*, & quod adhuc pejus est, *à verâ spe*, *quam* in malis habere debent, ad *vanam mundi spem*, in ceremoniis istis positam, quas in hunc finem comminiscuntur, eosdem seducentes, ad cultum *Idolorum omnium*, quotquot in mundo sunt, sub *Sanctorum nominibus*, & ad *colendas Reliquias* degenerare docent; adeò ut populus de *viâ veritatis* miserrimè aberrans, *Deo se servire*, *quodque bonum* est, facere existimet, *odioque ac malitiâ* inflammatus adversus *eos*, qui *veritatem* amant, *Homicidia plurima* perpetret: secundum *quod* verè dicit Apostolus; *Hic est ille homo peccati maturus factus*, *qui exaltat se super omne id*, *quod dicitur Deus*, *aut quod colitur*, *& qui veritati est contrarius*, *qui sedet in templo Dei*, i. e. in Ecclesiâ, *ostendens se*, *quòd est Deus*, *Cujus adventus est in omni seductione in iis qui pereunt*: Et quoniam *jam revera venit*, non oportet eum diutius expectare; quoniam *permittente Deo* non adolevit tantùm, sed etiam decreverat, & potentia & Autoritas ejus jam imminuta est; nam Dominus *jam interfecit eum Spiritu oris sui*, per *multos homines bonos*, *potentiam illi*, & *amicis illius contrariam* stabiliens, quâ *locum & possessiones ejus* dissipavit, *Civitatemque hanc Babylonis*, in quâ *genus omne malitiæ* viget, divisit.

Quæ sunt Opera Antichristi?

1. *Opus Antichristi.*

Primum opus *Antichristi* est: Quòd Veritatem aufert, eamque in falsitatem, errorem, & Hæresin immutat.

2. *Opus Antichristi.*

Secundum opus *Antichristi* est, Quòd falsitatem Veritate celet, & mendacia per Fidem, Virtutesque confirmet, ac probet, necnon ut populo, qui ipsi subjicitur, spiritualibus rebus falsitatem immisceat, sive per Ministros suos, sive per ministerium ipsum, sive quicquid aliud in Ecclesiâ sit. Binæ autem istæ methodi perfectam, consummatamque in se maliciam complectuntur, qualem nec Tyrannus, nec Dominus quis à primordio mundi ad usque tempus *Antichristi* exercuit; nec erat unquam antea Christi inimicus aliquis, qui sic viam Veritatis in falsitatem, aut falsitatem in Veritatem convertere poterat, aut qui revera sic eos perverterat, qui hanc, aut illam, i. e. sive Veritatem, sive falsitatem coluerunt: Adeò ut sancta Mater Ecclesia cum suis veris filiis, humi proculcata jaceat, quantum ad Veritatem, Ministeriumque ac Ministros, horumque usum, & filiorum ejus,

ejus, qui eorundem ſunt participes: quare plorat illa acerbiſſimè, verbiſque, & planctibus Hieremiæ, dicens: Quomodo, ſolitaria ſedet civitas, quæ populo erat plena, tanquam Ethnica, & non circumciſa? vidua facta eſt illa: i. e. quæ Domina fuerat & Princeps provinciarum, ſponſi ſui veritate deſtituta eſt, quia erroribus & peccato ſubjecta, quia *Mundi, rerumque Mundanarum* particeps. Plora, & proſpice, atque reperies omnia hæc tempore hoc completa. Sancta enim Eccleſia exiſtimatur Synagoga, & impiorum Synagoga exiſtimatur illorum Mater, qui credunt Legi: pro Veritate falſitas, pro juſtitia iniquitas, pro fide error, pro Virtute peccatum, pro Veritate Mendacium prædicatur.

Quæ ex duobus his fluunt opera?

Hæc ſunt nimirum: 1. primum opus illud eſt; Quòd λατρείαν, quæ ſolius eſt Dei, illique ac operibus ejus propria, Creaturæ inopi tribuit, ſive rationali, ſive non rationali, ſenſibili, ſive inſenſibili: Rationali, ut Homini, aut Sanctis, qui jam obierunt, imaginibus, putido cadaveri, aut Reliquiis; quæ ipſe facit, ſunt Sacramenta, præcipuè Sacramentum Euchariſtiæ, quod tanquam Deum adorat; reſque benedictas, & conſecratas colit, Deumque ſolum adorare prohibet. *1. Eſt, Quòd λατρείαν creaturis tribuit.*

Secundum opus Antichriſti eſt; Quòd Chriſtum merito ſuo ſpoliat, ſimul & omnem ſufficientiam Gratiæ, Juſtitiæ, Regenerationis, Remiſſionis peccatorum, Sanctificationis, & nutrimenti ſpiritualis adimit, atque id omne ſuæ Autoritati, formæ verborum, ſuis operibus, & ſanctis, eorumque interceſſioni, & igni purgatorio tribuit, & populum ad res hîc memoratas allicit, quò nec quæ Chriſti ſunt, nec per Chriſtum ipſum quærant, ſed ſolùm per opera manuum ſuarum, & non per vivam fidem in Deo, nec in Jeſu Chriſto, nec in Spiritu S. Sed per voluntatem, & opera Antichriſti, adeò ut prædicet, quòd omnis ſalus in operibus conſiſtat. *2. Eſt, Quòd Chriſtum merito ſuo ſpoliat.*

Tertium opus Antichriſti in eo conſiſtit; Quòd Reformationem quæ Spiritûs S. opus eſt, fidei mortuæ & externæ tribuit; atque in hac fide baptizat infantes, docens quòd in eâ Baptiſmum & Regenerationem habere debeant, atque in eâ Sacerdotes creat, & dat ſacros ordines, inque eâ Chriſtianiſmum omnem fundat, quod Spiritui S. contrarium eſt. *3. Eſt, Fides mortua.*

Quartum opus Antichriſti eſt; Quòd Religionem omnem, ac Sanctitatem populi in Miſsâ conſiſtere vult, & plures ceremonias, quarum aliæ ſunt Judaicæ, Ethnicæ aliæ, aliæ Chriſtianæ, intertexit; quibus dum congregationem, & populum mirantem detinet, Spirituali & Sacramentali manducatione illum privat, atque à verâ Religione, & mandatis Dei ſeparat, ipſumque per *Offertorium ſuum* ab operibus Miſericordiæ abſtrahit, populumque per *Miſſam illam* vanâ ſpe niti docet. *4. Eſt, introductio traditionum humanarum, & ceremoniarum Judaicarum, ac Ethnicarum.*

Quintum opus *Antichriſti eſt*; Quòd omnia ſua opera facit, ut ſpectentur ab aliis, quo inſatiabilem expleat avaritiam, adeóque nihil eſt, quod non venum dat, aut ſine Simoniâ facit. *5 Eſt, Simonia.*

Sextum opus *Antichriſti* eſt; Quòd manifeſtiſſimis peccatis indulget, nec nec Cenſuras exercet Eccleſiaſticas, aut impœnitentes excommunicat. *6. Vitii impunitas.*

Septimum opus *Antichriſti* eſt, Quòd nec regit, nec defendit unitatem per Spiritum S. ſed per poteſtatem ſecularem, & in ſubſidiis adſciſcit res Spirituales. *7. Secularis poteſtatis Uſurpatio.*

Octavum opus *Antichriſti* eſt: Quòd odit, perſequitur, & exagitat, ſpoliat & occidit Membra Chriſti: Hæc ſunt quaſi primaria quædam illorum operum, *8. Perſecutio fidelium.*

operum, quæ contra Veritatem facit, quæ quidem omnia nec numerari, vel ſcribi queant; ſufficit tamen impræſentiarum, quæ generalia ſunt denotâſſe, quibus *Iniquitas hæc* velatur, tegiturque.

1. *Iniquitatem tegit Antichriſtus externâ confeſſione fidei.*

Primò ergo & præcipuè *iniquitas hæc* externâ Confeſſione Fidei tegitur, de quâ dicit Apoſtolus, quòd [a] verbis tenus Deum confitentur noſſe, ſed operibus negant.

2. *Antiquitate & multitudine.*

Secundò, Iniquitatem ſuam diuturnitate temporis, & Sapientum quorundam, & Religioſorum hominum, necnon virginum, & viduarum quarundam, & mulierum probarum Autoritate tegit Antichriſtus: Quin & innumeris aliis ſuſtentatur, de quibus in Apocalyp. ſic habetur, [b] *Et poteſtas data eſt ei ſuper omnem Tribum, & Linguam, & Gentem, & adorabunt eum omnes habitanter ſuper Terram.*

3. *Autoritate ſpirituali.*

Tertiò, *Iniquitatem* ſuam tegit, Spirituali Autoritate Apoſtolorum, contra quàm dicit Apoſtolus, [c] nihil *poſſumus contra Veritatem, & Poteſtas non data eſt nobis ad deſtructionem.*

4. *Miraculis.*

Quartò, *eandem* per miracula plurima hinc, aut illinc edita tegit, de quâ re ſic Apoſtolus. [d] *Cujus adventus eſt ſecundum operationem Satanæ, in omni potentiâ, ſignis, & prodigiis mendacibus: & in omni ſeductione iniquitatis, in iis qui pereunt.*

5. *Sanctitate externâ.*

Quintò, per externam ſanctitatem, per preces, per jejunia, per vigilias, & eleemoſynas, adverſus quæ ſic loquitur Apoſtolus: [e] *habentes formam pietatis, ſed abnegantes potentiam ejus.*

6. *Verbis Chriſti.*

Sextò, Iniquitatem ſuam tegit quibuſdam Chriſti verbis, Antiquorum ſcriptis, & *Conciliis*, quæ eouſque obſervat, quatenus impiæ hominum vitæ, & Voluptati non obſtant.

7. *Sacramentorum Abuſu.*

Septimò, per Sacramentorum adminiſtrationem, per quæ plurimos etiam errores evomit.

8. *Fictis reprehenſionibus.*

Octavò, per reprehenſionem, & prædicationem adverſus vitia verbo tenus; dicunt enim, & non faciunt.

9. *Vita auſtera.*

Nonò, per ſimulatam quorundam, & aliorum etiam veram pietatem; Dei enim electi ſervi, qui diligunt, faciuntque, quod bonum eſt, ſic adhuc detinentur in Babylone, & ſunt quaſi Aurum, quo vanitates ſuas tegit *ſceleſtus Antichriſtus*, dum nec cultum verum Deo exhibere, nec fidem in ſolo Chriſto ponere, nec veram omnino Religionem intelligere permittit.

Hæc, & alia multa hujuſmodi, quaſi pallium, ac veſtimentum Antichriſti ſunt, quibus mendacem ſuam malitiam tegat, ne tanquam Ethnicus rejiciatur, & quibus velatus incedit, *tanquam impudentiſſima meretrix.*

Unde manifeſtum eſt, cum ex veteri, tum & novo inſtrumento, quod Chriſtianus, per mandata in iiſdem evulgata, tenetur *ſeparare ſe ab Antichriſto*, nam dicit Dominus quinquageſimo ſecundo Iſaiæ; *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vaſa Domini; quoniam non in tumultu exibitis, nec in fugâ properabitis*, &c. & Jerem. 50. *Recedite de medio Babylonis & de Terrâ Chaldæorum egredimini: & eſtote quaſi hædi ante gregem, quoniam ecce ego ſuſcito, & adducam in Babylonem, congregationem gentium magnarum de terrâ Aquilonis: & præparabuntur adverſus eam, & indè capietur.* Iterum Num. 16. *Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repentè deperdam*, & poſteà. *Recedite à Tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, nè involvamini in peccatis eorum.* Lev. 20 *Ego Dominus Deus veſter, qui ſepara-*

a Tit. 1.16. b *Apoc.* 13.7.8. c 2 *Cor.*13.8. *ibid.*10. d *Theſſal.*2.2.2. e *Tim.*2.3.5.

vi

vi vos à cæteris populis. Separate ergo & vos Jumentum mundum ab immundo, & avem mundam ab immundâ, nè polluatis animas veſtras in pecore, & avibus, & cunctis quæ moventur in terrâ, & quæ vobis oſtendi eſſe polluta. Item Exod. 34. *Cave nè unquam cum Habitatoribus Terræ illius jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam*: & poſteà, *Ne ineas pactum cum hominibus illarum Regionum*: *nè cum fornicati fuerint cum Diis ſuis, & adoraverint ſimulacra eorum, vocet te quiſpiam ut comedas de Immolatis*: *nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis*: *nè poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos.* Lev. 15. *Docebitis ergo filios Iſrael, ut caveant Immunditias, & non moriantur in ſordibus ſuis, cum polluerint tabernaculum meum, quod eſt inter vos.* Ezek. 11. 21. *Quorum autem cor poſt offendicula & abominationes ſuas ambulat, horum viam in capite ſuo ponam, dicit Dominus Deus.* Deut. 18. 9. *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave nè imitari velis abominationes illarum Gentium,* Verſ. 12. *Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in Introitu tuo*; *perfectus eris & abſque maculâ cum Domino tuo. Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, Augures, & Divinos audiunt*: *tu autem à Domino tuo aliter inſtitutus.*

Eſt & hoc manifeſtum ex novo Inſtrumento Jo. 11. *Quòd Dominus venit, mortuus eſt, & paſſus, ut in unum filios Dei cogeret*; *& hoc eſt pro veritate Unionis, & ſeparatione ab aliis,* quòd dicit Matth. 10. *Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam*: *& Inimici hominis, domeſtici ejus.* Et præcepit hanc ſeparationem, dicens, *Si quiſquam ſit, qui non derelinquit patrem & matrem,* &c. Item. Matt. 7. 15. *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium,* &c. Item Matt. 16. 6. *Cavete à fermento Phariſæorum.* Item. Matt, 24. 4, 5. *Videte nè quis vos ſeducat, multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent.* Item v. 23. *Tunc ſi quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus, aut illic*; *nolite credere.* Et in Apocalypſi, propriâ ſuâ voce monet, jubetque populum ſuum exire de Babylone, dicens, Apoc. 18. 4. *Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem, exite de illâ populus meus*: *ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*; *quoniam pervenerunt peccata ejus uſque ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum ejus.* Apoſtolus idem dicit 2 Cor. 6. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſto ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem conſenſus Templo Dei cum Idolis?* v. 17. *Propter quod exite de medio eorum*; *& ſeparamini dicit Dominus, & immundum nè tetigeritis*: *& ego vos recipiam, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias dicit Dominus omnipotens.* Item ad Epheſios 5. 7. 8. *Nolite ergò effici participes eorum*: *eratis enim aliquando tenebræ*: *nunc autem lux in Domino.* Item ad Corinth. 1. c. 10. v. 20, 21. *Nolo autem vos ſocios fieri Dæmoniorum*: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum* Item ad Theſſalonicenſes 2. c. 3. v. 6. 7. *Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis. Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos*: Et inferius ver. 14. *Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo ut confundatur.* Item ad Epheſ. 5. 11. *Et nolite communicare operibus*

ribus infructuosis tenebrarum. Item ad Timoth. 2. c. 3. v. 1. *Hoc autem scito, quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Et infra v. 5. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita.*

Per res hîc supra dictas, malitia, & perversitas *Antichristi* manifestò constat. Etiam præceptum est à Domino, ut sese ab illo homines separent, sanctæque civitati *Jerusalem* adjungant. Quare Nos, quibus illa cognita sunt, Domino per servos suos eadem revelante, Revelationi huic, secundum sacras Scripturas, credentes perque Domini Mandata moniti, nos interiùs, atque exteriùs ab *illo* separemus, quoniam nos credimus *illum* esse *Antichristum*, sociatique, atque cum voluntate liberâ, synceroque proposito uniti, purè & simpliciter Domino placere, & servari statuimus: Deoque nobis auxiliante, Veritati Christi, & sponsæ illius, quàm parvulacunque illa fuerit, firmiter adhærebimus, quousque pro Intellectûs nostri captu poterimus.

Quâ de causâ, deliberatum est, quæ sunt separationis nostræ causæ, ostendere; & qualis sit noster cœtus; ut, si quibus veritatis ejusdem cognitionem concesserit Dominus, eandem amplexi nobiscum chariorem habeant: & si fortè non fuerint satis illuminati, in subsidiis ipsis sit hocce ministerium, & à Domino irrigentur: Quòd si cuivis magis abundè suppetat, altiusque instruatur, eò magis humiliter cupimus nos ab illo instrui, docerique, quò, in quibus erratur, corrigamur. Hæ ergo, quæ sequuntur, separationis nostræ causæ sunt.

Sit ergo cuivis sive generaliter, sive particulariter manifestum, quòd separationis nostræ causa talis est, *viz.* pro veritate essentiali Fidei, pro interiori cognitione unius veri Dei, & Unitate Essentiæ in tribus personis, quam cognitionem Caro & Sanguis nequeunt dare: & præ omnibus, pro cultu proprio, uni soli Deo debito; pro sanctificatione, & honore illi præ omnibus, & omni nomine debito; pro spe vivâ in Deo per Christum, pro regeneratione, & renovatione interiori per fidem, per spem, & charitatem: pro meritis Jesu Christi; cum omni sufficientiâ Gratiæ, & Justitiæ, pro participatione, aut Communione cum omnibus electis: pro remissione peccatorum, pro sanctâ conversatione, & fideli obsequio erga mandata omnia in Fide Christi, pro verâ pœnitentiâ, & perseverantiâ ad finem, & pro vitâ æternâ.

Veritates ministeriales sunt istæ: Externus sc. Ministrorum cœtus cum populo, in loco, tempore, & Veritate Ministerii subjecto, i. e. in Veritate suprà dictâ eos sic ducente, stabiliente ac conservante, ut fideliter, & frequenter congregentur, & ad fidem & vitæ integritatem tendant, moribus bonis, & obsequio, atque horum praxi strenuè dediti, iisque demùm omnibus, quæ in Ecclesiâ suâ fieri vult Dominus.

Quæ ad Ministros spectant, quò populo ritè serviant, sunt ista: Verbum Evangelicum, Verbum reconciliationis, sive Lex gratiæ, secundum institutum, & intentionem Christi: oportet enim ministrum declarare verbum Evangelicum: Sacramentum verbo adjunctum declarat illius sensum, & intentionem; & confirmat fidelium spem in Christo; & communionem ministerialem in omnibus rebus per veritatem essentialem. Et si sint aliæ aliquæ res ministeriales, includi possunt omnes in illo, quod dictum est: sed ex his singulis veritatibus, quædam sunt essentialiter necessariæ ad salutem humanam, quædam conditionaliter continentur in XII. Articulis fidei, & aliis Apostolorum verbis: nam Antichristus jam dudum regnavit in Ecclesia, permissione divinâ.

Errores

Errores, & impuritates Antichriſti per Dominum interdictæ ſunt *iſtæ*: varia & innumera Idolatriæ genera adverſus mandatum Dei, ac Chriſti: cultus, viſibilis, ſive inviſibilis, corporeus, ſive ſpiritualis, ſenſibilis, naturalis, vel arte quacunque introductus, ſive ſub aliquo Chriſti nomine, ſive Sanctorum, aut Sanctarum, aut Reliquiarum, ſive quarumcunque Autoritatum, per quas coluntur creaturæ, per fidem, ſpem, opera, orationes, peregrinationes, eleemoſynas, oblationes, ſacrificia ſumptuoſa: Quum Creaturam colunt, adorant, honorant multis modis, per cantiones, orationes, ſolennitates, celebrationes Miſſarum, veſperas, inclinationes ad Creaturas, per horas, per vigilias, per feſtivitates, per acquiſitiones gratiæ, quæ in Deo ſolo eſſentialiter, & in Jeſu Chriſto meritoriè eſt, & per ſolam fidem acquiritur per Sanctum Spiritum.

Nec enim alia Idolatriæ cauſa eſt, quàm falſa opinio de Gratiâ, de Veritate, de Autoritate, de Invocatione, de Interceſſione, quam Hic Antichriſtus de Deo abſtulit, ut ceremoniis iſtis, Autoritatibus, operibus manuum ſuarum, & Sanctis, & Purgatorio tribueret: atque *hæc iniquitas Antichriſti* primo Articulo Fidei, & primo præcepto Legis eſt directè contraria.

Similiter inordinatus hujus mundi amor, qui in *Antichriſto* eſt; id eſt, unde mala omnia & peccata, quæ ſunt in Eccleſiâ, exoriuntur, Ducibus illis, qui eam regunt, & Officiariis eorum, qui impune peccant, qui Veritati etiam Fidei, & cognitioni Dei Patris repugnant, teſtante S. Joanne, qui dicit, *qui peccat, nec novit, nec vidit Deum; ſi quis enim amat mundum, amor Patris non eſt in eo.*

Secunda iniquitas Antichriſti conſiſtit in ſpe, quam facit Remiſſionis, Gratiæ, Juſtitiæ, Veritatis, vitæ æternæ; tanquam quæ non ſunt in Chriſto, nec in Deo per Chriſtum, ſed in hominibus vivis, vel mortuis, in Autoritatibus, in Eccleſiaſticis Ceremoniis, in Benedictionibus, in Sacrificiis, in Precationibus, inque aliis rebus ſupra memoratis; neutiquam per veram fidem, quæ pœnitentiam producit per Charitatem, facitque, ut ab iniquitate abſcedentes, ei, quod bonum eſt, ſe dedant. Adeóque *Antichriſtus* non docet ſpem firmam collocare, in rebus talibus, quales ſunt Regeneratio, Confirmatio ſpiritualis, Communio, Remiſſio peccatorum, & Sanctificatio æterna: ſed in Sacramentis, & turpiſſimâ Simoniâ, per quam miſerè deluditur populus, dum omnia ſint venalia; quem in finem diverſas ille Conſtitutiones, veteres ac novas commentus eſt, quibus pecuniam acquirat, ſic ut ſi quis hoc, aut illud fecerit, Gratiam & vitam hoc modo obtineat. Hæc autem eſt *duplex illa iniquitas*, quæ in Scripturis ſacris propriè appellatur *Adulterium*, & *fornicatio*, atque igitur Miniſtri qui in errores iſtos brutum populum ducunt, appellantur *Meretrix Apocalyptica*. Et *hæc iniquitas ſecundo Articulo fidei*, atque *etiam ſecundo & tertio* præcepto Legis contraria eſt.

Tertia iniquitas in hoc conſiſtit, Quòd, præter ea, quæ jam dicta ſunt, falſas Religiones, & Regulas, & Monaſteria, atque Gratiæ ſpem in extruendis quibuſdam Eccleſiis collocavit, necnon in Miſſis devotè celebrandis, in Sacramentorum uſu, & confeſſionibus faciendis, (licet raro contriti ſint,) & ſi ſatisfecerint per jejunia, & per Crumenæ evacuationem, vel ſi fuerant, vel ſint membra *Eccleſiæ Romanæ*. Aut ſi dotaverint, vel voverint *aliquam Regulam*, aut caputium, aut alium habitum, ad quæ, contra veritatem omnem, homines obligari dicunt. Atque *hæc iniquitas Antichriſti octavo Articulo Fidei*, viz. *credo in Sanctum Spiritum*, directè contraria eſt.

Quarta *iniquitas Antichriſti in hoc conſiſtit*: Quòd, quum ſit *Quarta Beſtia* à Daniele deſcripta, & *Meretrix Apocalyptica*; nihilominus Autoritate, Dignitate Miniſtrorum, Officiariorum, & Scripturarum ſeſe tegit; & ſe æquat, comparatque veræ, & ſanctæ matri Eccleſiæ, in quâ ſalus miniſterialiter habenda eſt, inque quâ veritas vitæ, & doctrinæ & ſacramentorum eſt, & non alibi. Nam ſi non ſe, & impios ſuos Miniſtros tegeret, quos notum eſt, eſſe manifeſtos peccatores, ab omnibus rejiceretur. Nam Imperatores, & Reges & Principes judicantes, quòd *Ille* ſit *vera* & *ſancta Mater Eccleſia*, illum dilexerunt, & dotarunt contra mandatum Dei. Atque *hæc iniquitas* Miniſtrorum, eorumque, qui ipſi ſubjiciuntur, qui ſic in peccato & errore ſuſtentantur, nono Articulo, viz. *credo ſanctam Eccleſiam* directè contraria eſt.

——Hoc quoad primam partem.

Secundò. In quantùm, qui externarum ſolùm ceremoniarum ab hominibus inventarum participes ſunt, credunt, & ſperant ſe veritatis quoque Officiorum paſtoralium, & curarum participes futuros; & quoniam tanquam agni tondentur, ungunturque, benedicunturque per tactum libri, & calicis, declarant ſe rite ordinari ſacerdotes: eodem modo, quo (ſicut ſupradictum eſt.) populus ipſis ſubjectus, verborum quorundam, ſignorum, & exercitiorum exteriorum, diverſarumque actionum communicatione, putat ſeſe veritatis inde procedentis participem fore. Atque hoc alteri parti noni Articuli, viz. *credo communionem Sanctorum*, contrarium eſt. Quare oportet de peſſimâ illâ Monachorum communione diſcedere, qui carnales homines ſeducunt, & quò avaritiam ſuam expleant, adducunt eos ut ſpem ſuam in rebus inanibus locent, unde ut ut luxurioſi, & avari ſint, modò ipſis liberaliter donent, quòd paupertatis & caſtitatis ſuæ participes erunt, ipſis promittunt.

Quinta iniquitas Antichriſti in hoc conſiſtit. Quòd fingit, promittitque peccatoribus Remiſſionem peccatorum, qui non ſunt verè contriti, nec in malis ſuis operibus perſeverare deſiſtunt: & præ avaritiâ primò illis promittit Remiſſionem peccatorum propter Confeſſionem auricularem, & abſolutionem humanam propter peregrinationes. Et *hæc iniquitas* undecimo articulo fidei, viz. *credo remiſſionem peccatorum*, contraria eſt. Nam illa Autoritativè eſt in Deo, & miniſterialiter in Chriſto, per fidem, per ſpem, per pœnitentiam, per charitatem, per obedientiam verbo, & in homine tantùm per participationem.

Sexta iniquitas in hoc conſiſtit; quod ſibi ſatisfaciunt, & ad vitæ finem in prædictis iniquitatibus ſic tectis, & ſpecialiter in extremâ unctione, & purgatorii ſomnio, ſpem ſuam ponunt: adeò ut rudes, & ignari in erroribus ſuis perſeverent, eis fidem illis facientibus, quòd à peccatis ſuis abſolvuntur, quanquam liberâ voluntate eadem neutiquam deſerant, quò ſit revera illis peccatorum remiſſio & vita æterna. Et *hæc iniquitas undecimo*, & *duodecimo Articulo Fidei*, directè contraria eſt.

FINIS.

In tam ſimplici, & ſyncerâ Orthodoxæ fidei defenſione, ut ut obſoletâ, & Latinis auribus plane abſonâ, quàm hîc ſupra verto, mutare quicquam Religio eſt, nec ſpero id vituperabit prudens & pius Lector, memor illius ſc.

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.